

1
6
140





Jul. GABRIEL
Epist.

IVLII GABRIELII EVGVBINI ORATIONVM, ET EPISTOLARVM, PARTIM SVO, PARTIM ALIORVM NOMINE SCRIPTARVM,

Libri duo.

Epiſtola de rebus Indicis â quodam ſocietatis IESV Presbytero Italicè ſcripta, & nunc primum in latinum conuerſa â Iulio Gabrielio Eugubino.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS, Ex officina Franciſci Ziletti. 1569.

Ex legato D: Equitis Antonij Francisci de Marmi[s]

SCIPIONI GONZAGAE PRINCIPI, ET MARCHIONI.

Iulius Gabrielius. S. D.



VM ſuperioribus diebus Cyri Pædiã, iampridem illã quidem à me latine redditam, ſed nuper editã, ad te in primis, quemadmodũ poſtulabat ſummum meũ erga te ſtudiũ, detuliſſem, nõ ſatis habuiſti, quæ tua eſt humanitas, & beneficia in bonarũ literarũ ſtudioſos uoluntas, cõſilium hoc meum probare, ac laudare, ſed ẽt pluribus uerbis ſuaſiſti ne peius uellẽ, quàm huic, cæteris lucubrationibus meis cõſultum: ſunt enim illæ tibi, pro iure noſtri aliquot annorum cõuictus, oẽs fere, quãtulæcunq; ſint, perſpectæ & cognitæ. hìc ergo, qui multo minoris, quàm tu facere uidebaris, eas æſtimarem, abnuere, negare, recuſare. ſed cũ idẽ à me iterũ, ac ſæpius cõtẽderes, nõ potui diutius reſiſtere, quin pollicerer, daturũ me operam, ut poſtulationi tuæ aliqua ex parte ſatiſfacerẽ. Itaq; paucis poſt diebus ſoluto ſcriptorũ meorũ faſciculo, cæpi ea euoluere, atq; inſpicere. occurrit primo uolumẽ orationum quarundã & epiſtolarũ diuerſis temporibus à me ſcriptarũ libẽter arripui ac tenui. nã uiſa eſt illud ſanè mihi ſors ipſa offerre, quo poſſem pro re nata nõ incõmode promiſſũ tibi meũ exoluere, tũ alias ob cãs, tùm præcipue, quòd cõplures earũ per id tẽporis, cum apud te uiuebam, ſunt

contextæ, nonnullæ Herculis Gonzagæ Cardinalis, propinqui tui, eiusdem & domini mei, nomine conscriptæ, una etiam, aut altera ad te ipsum, ut merito uiderentur tibi potissimũ deberi, cũ præsertim (quod maxime rem continet) politioribus tu quidẽ literis, & doctrinis à pueritia mirifice sis delectatus. eas igitur, cum primum ocium fuit accuratius legi, &, quascunque putaui recte emitti posse, has, quantũ per me fieri potuit, correctas, in duos libros redegi. quorũ in uno illas collocaui, quas contigit, ad principes uiros partim meo, partim aliorũ nomine scribere. in alterũ eas retuli, quas ad meos uel fratres, uel propinquos, uel familiares exarabã. huic uero extremo libuit, quasi corollarij loco, epistolam, à presbytero societatis Iesu nescio quo de rebus Indicis Italicè iã diu cõpositã, à me aũt in latinum quorundã rogatu dudum cõuersam, addere: nec enim desperabã fore, ut hæc quoque piis hominibus grata accideret. sed si quid erit uel in ea, uel in cæteris hisce meis lucubratiunculis, quod lectores, aut delectet, aut iuuet, id profecto debebũt tibi uni secundũ Deum acceptum referre, quo authore, atq; adeò impulsore eas digessi, & in lucẽ protuli. mihi certe uel illud satis fuerit, si hinc nõ modo tibi, uerũ ẽt alijs cõstiterit plurimũ posse apud me uoluntatẽ atq; authoritatẽ tuá. quòd si quãtum illa quidẽ apud me in suadendo ualuit, tantundẽ apud alios in hoc meo libello cõmendando, tuendoq; ualuerit, nihil erit, opinor, quòd eũ, in manus hoĩum uenisse, pœniteat. Vale. Romæ xv. Kal. Maij. MDLXIX.

IVLII

IVLII GABRIELII EVGVBINI ORATIONVM, ET EPISTOLARVM,

Liber Primus.

Oratio ad Amplissimos Pont. Max. & Sedis Apostolicæ legatos, cæterosq; Tridentini Concilij Patres habita anno M. D. L X I I. die festo circuncisionis à Iulio Gabrielio Eugubino.



SI mea sponte, ac uoluntate huc ascendissem, Patres amplissimi, reprehensione, opinor, minime carerem, quippe qui ab omnibus tum ingenij, tum doctrinæ, tum vsus, exercitationisque præsidiis male paratus, ausus essem in hunc celeberrimum consessum ad dicendum uenire: sed cum & mihi ipsi conscius sim, inuitum me hanc prouinciam suscepisse, & vero sciam, idem complures uestrum non ignorare; spero fore, ut non solum arrogantiæ crimen effugiam, uerum etiam ueniam, si minus expectationi vestræ respondero, facile impetrem. neque tamen oneris grauitatem cum mearum virium imbecillitate conferens, facere possum, quin tota mente, & corpore contremiscam. quid enim à me semihoræ præsertim spatio dici posit, quod uel loci sanctitati, uel auditorum grauitati conuenire uideatur? Illuc igitur cōfugio, ut diuini numinis auxilium pio, ac supplici animo implorem, vosque simul, Antistites optimi, orem atque obsecrem, vt uelitis, me vestris precibus adiuuare, &, quæ uestra est humanitas, benigne, attenteque audire, etiam si nihil uestris auribus dignum, nihil reconditum, nihil quod non multo uobis, quàm mihi notius sit, attulero; est enim harum rerum, de quibus breuiter sum dicturus, non modo cognitio maxime excellens, sed recordatio ualde vtilis, & iucunda. Nullum est profecto præ-

potentis

potentis Dei opus, nulla actio, quæ non undique perfecta, admiranda, suscipiendaque sit. sed eæ, quarum memoriam his diebus colimus, ac celebramus; omnem plane humanæ mentis cõprehensionem, ne dum orationis facultatem longe superant. Recognouimus octo ab hinc diebus noctem illam sanctissimam, ac beatissimam, quæ sempiternam orbi terrarum lucem attulit, cũ est immensæ benignitatis, misericordiæ, iustitiæ, sapientiæ lumen exortum; cum, inquam, Christus natus est, ut nostra scelera suis pœnis expiaret, nostras culpas suo sanguine lueret. O singulare charitatis exemplum, Verbum illud æternum, per quod omnia facta sunt, carnem factum, nobiscum nostra causa habitare uoluisse. Summum Deum, ut acerbissimum seruitutis iugum ab hominibus depelleret, filium unicum, & sibi charissimum è sinu proprio in hunc mundum ad uitam humilem abiectam ac laboriosissimam demisisse. ita tamen, ut de diuinitate ille sua nihil prorsus deperderet, & mater incorrupta, intacta, castissima permaneret. O uere admirabilis coniunctio. idem humanam carnem assumit, & diuinam naturam retinet: idem in terris puer lactens in gremio matris educatur, & in cœlis rerum omnium creator ac moderator in sinu patris residet. O factum incredibile, & in omni memoria inauditum eadem partum edidit, & inuiolata permansit; eadem matris gaudium percepit, &
Esa.11. uirginitatis florem conseruauit. huc nimirum pertinebat sacer-
Exo.3. dotalis illa uirga, quæ sine radice floruit. huc rubus ille ardens sine combustione. Et erit quisquam ita rudis, ita ingratus, ac beneficij plane diuini immemor, quem harum rerum commemoratio non excitet? non inflammet? Hodierno uero die eiusdem circuncisionem ab Ecclesia sancta solenni cum ceremonia decan-
Luc.2. tari passim audimus. Postquàm consummati sunt dies octo, ut circuncideretur puer. quid? circuncisione ei opus erat, in quo nulla originalis peccati labes, nullum cupiditatis uestigium apparebat? circunciditur puer; Agnus sine macula. cur ita? nempe propter eandem causam, propter quam conceptus, propter quam natus, propter quam mortuus est; propter eximiam scilicet cha-
Eph.2. ritatem suam, qua dilexit nos. O præclare ab eo traditam, sed
Psal.58. negligenter à nobis custoditam humilitatis disciplinam. Christus quæ non rapuit, exoluit. nos propriam culpam non erubescimus?

ſcimus? Chriſtus legi, quam dedit, ſubiectus eſſe uoluit, noſtrã *Gal.4.*
nos ſuperbiam non agnoſcimus? Sed attendite, quæ ſequantur.
Vocatum eſt nomen eius Ieſus. mira res, Euangeliſta ſancte. *Luc.2.*
Circunciditur puer, tanquam ſalute indigens, & uocatur Ieſus,
id eſt ſalutis author. Verum, ſi rem penitus introſpexerimus,
mirifice hæc inter ſe conuenire, intelligemus. nempe circunciditur, ut humanæ naturæ ueritatem oſtendat: Ieſus uocatur, ut diuinæ maieſtatis gloriam præſeferat. Et quidem ego, dum omnem uitæ Chriſti rationem, quantum per me fieri poteſt: accurate contemplor, uidere mihi uideor, eum ſummam infirmitatem cum ſumma potentia, ſummam ſtultitiam cum ſumma ſapientia, ſummam ignominiam cum ſumma gloria, coniunxiſſe. nam, ut de duobus poſterioribus nunc taceam, quod ad primum attinet, ſic conſiderate. ponite quæſo ex una parte ortus conditionem, præſepe, fœnum, faſcias, circunciſionem, inſidias, fugam, baptiſmum, defatigationem, ſitim, famem, frigus, ludibria, cruciatus, mortem, ſepulturam: non ne ſumma hinc infirmitas colligitur? At collocate ex altera parte regale genus, uaticinationes, Angelorum elogia, Ieſus nomen, ſtellæ curſum, magorum uenerationem, Herodis ludificationem, morborum curationes, armatæ cohortis ſubitum caſum, ſolis defectum, terræ motus, reditum ad uitam, aſcenſum in cœlum; non ne ſumma hinc extat potentia? Iam uero miſcete utraque ſimul, non ne potentiſsima quædam infirmitas, & infirmiſsima quædam potentia conficitur? O inexplicabilis rerum ferme contrariarum conſpiratio. Nolite ergo mirari: ſi eodem tempore & circuncidi, & Ieſus dici uoluit, non recenti ſane nomine, aut nouo, ſed
eo, quod uocatum eſt ab Angelo prius, quàm in utero conciperetur, *Luc.2.*
nec humanitus ei impoſito, ſed diuinitus ſibi inſito atque
innato. nimirum pater dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne *Phil.2.*
nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, nomen ſuauiſsimum, nomen ſaluberrimum, nomen omni laude prædicandum. Solitus eſt clementiſſimus Deus antiquis illis patribus, Abrahæ, Iacob, Moyſi, & reliquis amicis ſuis multa beneuolentiæ, gratiæ, ac familiaritatis ſigna tribuere, ita ut non graue duxerit, eis interdum ſui etiam uidendi quodammodo, & alloquendi poteſtatem facere, ſed tamen

men

men illis uel summa contentione petentibus nunquam adduci potuit, ut hoc faustissimum nomen indicaret; quod nobis postea, non est grauatus patefacere; idque iure, cum enim deprecatorem se pro hominibus ad Deum exhiberet, rationi consentaneū erat, ut tale nomen nobis proferret, quo possemus in ipsius ope imploranda fidenter uti, cuius quidem nos tam præcipui, tamq; insignis beneficij, & gratiæ memores, debemus hodie uilissima membra nobilissimum caput imitati, nos metipsos pro sua quisque conscientia, & pro ratione temporum studiose circuncidere. Circuncidant, quæso, hæretici falsas, fucatas, atque inanes opiniones suas, ueram, sinceram, & solidam doctrinam amplectantur. Circuncidant Christiani Reges mutuas inter se contentiones, ac simultates, ad publicam catholicæ fidei authoritatem, dignitatemque tuendam conspirent. Circuncidant populi turbulentos motus, insolentiam, contumaciam, quieti, humiles, suis principibus dicto audientes sint: Circuncidant Ecclesiæ proceres nimium siue opum, siue honoris studium, frugalitatis & continentiæ exemplum alijs præbeant. Circuncidant sacri Pastores proprij emolumenti, & commodi solicitudinem, gregi sibi commisso fideliter. custodiendo uigilent, circuncidant hi, qui alicui certæ religioni sese addixerunt, immoderatas animi affectiones, & humanarum rerum cupiditates, ad cœlestium curam, salutemque animarum toto pectore incumbant. Omnes demum cuiusque generis, ætatis, atque ordinis seipsos hodierni mysterij recordatione circuncidant; non in carne, sed in corde; non cultro lapideo, sed spiritu ueritatis, ut, quemadmodum per carnis amputationem populus Dei ab impijs gentibus segregabatur, sic ipsi per spiritus expiationem paruulorum integritate, atque innocentia imbuti, à quorum doctrina aperte nos dissentire profitemur, ab ijs etiam uitæ instituto plurimum distare uideamur; itaque tandem octaua die, reuiuiscentium uidelicet ætate, ingredientes sine macula, fidei, spei, & charitatis corona ornati ad illam cœlestem Hierusalem peruenire, & in monte sancto domini requiescere posimus. Id autem, si unquam antea curatum est; hoc certe summo Reipublicæ Christianæ tempore in primis curare oportet, quo facilius posit ac felicius, iuuante Deo, sacrum concilium celebrari, quemadmodum ego quidem

dem fore non diffido, tum quia quocunque oculos conuerto, tutiſsima catholicæ fidei propugnacula conſpicio, tum maxime, quòd ſcio, Eccleſiam Dei ſuper firmam petram fundatam eſſe; *Mat.16.*
perſuaſiſsimum mihi habeo, Chriſtum lectiſsimam ſponſam ſuã deſerere nequaquam poſſe: recordor eundem pro ſummo ipſius *Luc.22.*
gubernatore rogaſſe patrem, ne deficeret fides eius: non me fu giunt clariſsimæ illæ diuini Vatis prædicationes, Dominabitur à *Pſal.71.*
mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terra rum. Et, à ſolis ortu uſque ad occaſum laudabile nomen eius. hæc *Pſal.49.*
nemini obſcurum eſt, quin myſticum Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia, nõ obſcure præſignificarint. quid plura? nunquid obliti eſtis illius quaſi pactionis, quam Chriſtus uobiſcum, uobiſcum, Pontifices, qui quidem Apoſtolorum locum obtinetis, benigne confecit, ſi duo ex uobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, *Mat.18.*
quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis eſt: ubi enim ſunt duo uel tres congregati in nomine meo, illic ſum in me dio eorum. Ac rurſus, Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Quid uultis amplius? uere- *Mat.38.*
mini fortaſſe, ne ſtet conditionibus ijs, quas ipſe tulit? fidelis per manet Deus, negare ſe ipſum non poteſt. Sed magnis, dicet *2.Tim.2.*
quiſpiam, hac tempeſtate fluctibus, & procellis Petri nauicula uexatur: at non minoribus aliquando uexata eſt; & tamen inco- lumis, integráque emerſit, ut facile appareat, hinc humanã ma- litiam aduerſari, hinc diuinam pietatem reſiſtere, magni ſunt no ſtrorum delictorum acerui. quis negat? at maior eſt fons ille iugis diuinæ miſericordiæ. dici non poteſt, quanta ſit ſpei, & fi dei uis, ſi quidem ex ea tantulum modo teneremus. Amẽ quip- *Matt.17*
pe dico uobis, ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſsibile erit uobis. ſed proh tempora noſtra corrupta, ac perdita. è manibus neſcio quo pacto elapſa eſt. uidemur hodie ipſius Dei potentiæ, ac benignitati quodammodo diffidere. Viget, uiget eadem ſpi ritus ſancti uis, quæ priſca illa Apoſtolorum ætate tot res, & tã- tas mirabiliter effecit: nullis locorum terminis circunſcripta, nul lis temporum ſpatiis definita per omnes orbis terræ partes diffun ditur, ad omnia mundi ſecula propagatur. Vre igitur, ure igne ſancti ſpiritus corda horum, Domine. Deus uirtutum conuerte- *Pſal.79.*

re, respice de cœlo, & uide, & uisita uineam istam. exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Tua, tua uinea est, Christe, tui sunt ordines, tua descriptio: perfice uineam, quam plantauit dextera tua: restitue destructam maceriam; ne uindemient eam omnes, qui prætergrediuntur uiam. Nosti Pium IIII. Pont. Max. non minus re, quàm nomine Piũ, cum primum tuus hic Vicarius tua prouidentia constitutus est, nihil antiquius habuisse, quàm ut œcumenicum concilium rite, ac sancte indiceret, quæque ad illud peragendum conducerent, omni uigilantia, studio, opera, & solicitudine curaret. Intelligis, hoc amplissimos legatos, clarissima sacri collegij lumina, nihil eorum, quæ sui muneris essent, neq; hactenus prætermisisse, neque post hac (ut est sperandum) prætermissuros esse. Cernis hos religiosissimos Antistites, nulla rerum difficultate, nullis locorum interuallis deterritos, huc ad operam, quam tibi debent, sedulo nouandam libenter conuenisse. Ne graueris, misericors Domine, cunctis iis ex disiunctis regionibus unum in locum in tuo nomine congregatis, tantum diuini tui numinis, & gratiæ impertire, quo possint deprauatos mores corrigere, malas consuetudines tollere, & sacrosancta fidei tuæ dogmata, quorundam licentia, importunitateque uiolata, atque conuulsa, resarcire, & confirmare, ut ea sequutus fidelis populus tuus uniuersus uno consensu, unoque ore te unum Deum uerum, eundemque trinum, ac potentissimum pura religione colat, celebret, ueneretur.



IVLII

IVLII GABRIELII

EPISTOLAE DVODECIM, HERCVLIS GONZAGAE, CARD. MANT. ET CAETERORVM ſedis Apoſtolicæ in Tridentino Concilio legatorum nomine ſcriptæ.

Stanislao Hoſio Card. Vuarmienſi.

BINAS abs te literas accepimus, quarum unæ iij. Cal. alteræ pridie Id. Maij ſcriptæ erant. ſunt autem à nobis utræq; libentiſsime perlectæ tùm alias ob cauſas, tùm præcipuè, quòd celeris tui ad hanc urbem aduentus ſpem maximam attulerunt. qui quidem aduentus quàm nobis ex pectatus atque gratus futurus ſit, dici non poteſt: quamuis enim, ut nunc eſt, de rebus ad concilium ſpectantibus nihil dum agi, tractarive poſsit, tamen conſuetudo tua erit nobis ſanè quàm iucunda. nec uero diffidimus, poſſe nos interim de ſingulis rebus, quæ, Deo iuuante, concilij tempore erunt pertractandæ, inter nos colloqui, huic tantæ prouinciæ nobis communiter demandatæ utile futurum, quippe qui in doctrina, ſapientia, ac probitate tua magnam ſpem poſitam habemus. conſilium igitur, & deſiderium tuum huc te mature conferendi non poſſumus non ſummopere probare, & ut re ipſa ita fiat, ualde cupere. Iam uero colloquium illud tuum cum oratoribus Gallorum Regis de nunciis ad concilium prius poſteriusve ab ipſo quàm ab Imperatore mittendis, quis non ſummis laudibus efferat? quanta in eo prudentia, religio, ueritas, quantum denique Chriſtianæ libertatis ſtudium apparet? quemadmodum igitur, quòd tu nullam prætermittas occaſionem eccleſiæ rationibus conſulendi, nos profecto mirifice commendamus, teque hoc nomine plurimum amamus, ita ab omnipotenti Deo, cuius res agitur, ſupplices petimus, ne uelit hos labores interire, ſed gratiæ loco populo ſuo uniuerſo concedat, ut tales ex eis oriantur fructus, quales ſinceræ fidei cul-

tores expoſtulant. Adiunximus huic epiſtolæ exemplum literarum ab urbe ad nos nuper miſſarum, ut ne quid te fugiat eorum, quæ quidem nos ſciamus ad hanc publicam cauſam attinentia. Scito etiam Bracarenſem Archiepiſcopum natione Luſitanũ heri de improuiſo huc acceſsiſſe, quaſi exterarum gentium primitias. Precemur Deum, ut huic initio cætera reſpondeant. Vale. Tridenti. xiiij. Cal. Maias. MDLXI.

Stanislao Hoſio Card. Vuarmienſi.

QVOD neminem patiaris iſtinc ad nos ſine tuis literis uenire, humaniter facis, nobiſque pergratum. & epiſtolam igitur, quam nobis Leodienſis Decanus reddidit, libenter legimus & ipſum hominem complexi ſumus libentiſsime: neque enim dubitamus, quin quicunque abs te ametur, idem digniſsimus ſit, qui non ſolum à nobis, ſed etiam à cunctis bonis diligatur. Quòd autem nihil dum certi liceat tibi de tuo diſceſſu ſtatuere, non poſſumus non ægre ferre, nec minus ſanè noſtra, quàm tua cauſa, quandoquidem talem hic collegam conſiliorum, ſententiarum, ac uoluntatum ſocium habere, eſſet nobis profecto non mediocri tum uoluptati, tum etiam utilitati, quapropter omnem tibi ad decedendum dubitationem ac morã auferri, æque, atque ipſe, optamus. Cæterum de rumore iſtis in locis diſsipato, quod adſcribis, nobis moleſtum fuit: quamuis enim inanem illum eſſe & falſum ſciamus, tamen his temporibus alieniſsimum ducimus, quicquam accidere, quod poſſe uideatur hoc probatiſsimum atque optimum concilij agendi inſtitutum aut retardare, aut impedire. Sed huiuſcemodi peruerſorum hominum uoculas ſperabamus uel ex his, quæ nos proximis ſuperioribus literis ſcripſimus reiectas iam concidiſſe: cupimus quidem certe, & omnino nihil ardentius expetimus, quàm ut ſummi rectoris numine & auxilio ad id, quod unicum eſſe uidetur tot, tantarumque perturbationum, ac turbarum remedium, communi tandem conſenſu, & animis bene conuenientibus concurratur. id ſi quando præpotentis Dei bonitate conſequuti fuerimus, erit nobis uita ipſa charius. Accepimus propoſitiones illas in Brunſuicenſi conuentu propoſitas, pro quibus ut aliquid tibi rependamus,

musq; mittimus ad te non nulla, quæ his diebus ex diuersis locis ad nos scripta sunt, in ijs quædam ad res Gallicas attinentia, ex quibus facile coniicere poteris, quanta his fides habenda sit, quæ istic circunferuntur. Postremum certè caput literarum tuarum scrupulum nobis iniecerat, & ansam dederat multa suspicandi, quæ, ne male augurari uideamur, silentio prætereunda nunc statuimus, & in congressum nostrum reseruanda, nisi Deus interim clarissima luce sua omnem dubitationem ita disiecerit, ut nobis præsentibus lætandum potius & gratulandum sit, quàm dolendũ, aut conquerendum. Quæ superioribus diebus Cardinali Borromeo de negocio quodam Polono scripsimus, ea tu ex nostrarum ad eum literarum exemplo cognosces, quod cum proximis tabellariis ad te dare exciderit, uisum est non absurdum fore, si huic epistolæ adiungeremus, ut ipse quoque, si Pont. Max. hoc negocium ad nos reiecerit, spacium ad cogitandum de eo ac deliberandum habeas. Extremum illud erit, gratum te nobis factură, si, cum aliquid huc mittis ex his, quæ nuper impressa sint, plura corpora, non unum tantum miseris, præsertim si parua fuerint, cuiusmodi est libellus ille, quem paulo ante accepimus pulchrũ sane, & doctum: aliter enim multorum hic desiderio, qui quidẽ quæcunque abs te ad nos offerantur, legere admodum cupiunt, commode satisfieri non potest. Vale. Tridenti. vij. Cal. Iunij. MDLXI.

Stanislao Hosio Card. Vuarmiensi.

CVM superioribus literis te certiorem fecerimus de his, quæ Romam de negocio illo Polono scripseramus, non putauimus prætermittendum, quin de eo quicquid ad nos afferretur, idem ad te quàm primum perferendum curaremus. Habebis igitur cum hac epistola caput literarum Cardinalis eisdẽ uerbis descriptum. Nos uero simul ac diploma, quod pollicentur, ad manus nostras peruenerit homines, quos eam ob causam hic retinuimus confestim ad te uenire iubebimus, ut pro tua prudentia & pro catholicæ fidei dignitate negocium conficiendum cures. Vale. Tridenti. iij. Cal. Iunij MDLXI.

Stanislao

Stanislao Hosio Card. Vuarmiensi.

ACCEPIMVS heri uesperi diploma, quod Roma nos expectare, nudius tertius scripseramus. eius igitur exemplum publica authoritate firmatum ad te sine mora perferendum his ipsis hominibus dedimus, qui eam ob causam apud nos substiterant. Reliquum est, ut negotium tu ita cures transigendum, quemadmodum uidebitur officio, dignitatique nostræ conuenire, & hisce temporibus consentaneum esse. id quod qua ratione posit recte confici, qui melius te perspiciat, putamus esse neminem. Illud non reticebimus, uideri nobis, rationem habendam esse eorum, quæ de Pont. maximi nuntio adscribit Cardinalis Borromeus in extrema sua epistola, quam totidem uerbis exscriptam ad te mittimus. sed id etiam tu multo melius. Vale. Tridenti. Cal. Iunij M D L X I.

Stanislao Hosio Card. Vuarmiensi.

DIFFERRI aduentum tuum eò minus ægre ferimus, ꝙ neque hic de rebus publicis quicquam agi adhuc potest, & operam istic tuam non parum interim sanctæ Apostolicæ sedi conducere sentimus. hoc ita esse, tum antea non obscure uidere nobis uidebamur, tum etiam lectis his scriptis, quæ nunc ad nos misisti, apertius cognouimus. nam & sermonem, quem pium sane, uerum & grauem habuisti cum Comite à Luna multum ualuisse coniicimus ad excitandum, inflammandumque animum Cæsareæ Maiestatis, ut uelit aliquando suos hùc Oratores legare, & uero literæ, quas ad Apostolicum in Hispania nuncium iam dederas, tanta solertia, ingenio, fide, & charitate sunt conscriptæ, ut magnum momentum ad Regis catholici uoluntatem impellendam allaturæ uideantur, atque effecturæ, ut ipse quoque animum tandem inducat, non modo legatos Tridentum mittere, sed etiam huius sacri concilij causam quibuscunque in rebus adiuuare. Id duo hi præstãtissimi Christiani nominis principes, & germani catholicæ fidei propugnatores si præstiterint, suæ gloriæ, famæ atque honori optime consuluerint, & erit, cur

omnes

omnes boni, & religiosi uiri deo primum à quo bona cuncta emanant, deinde ipsis tum etiam tibi gratias immortales habeant. quã quam tibi quidem iam nunc maximas & habere, & agere debemus, cum uideamus te, quoad eius facere potes, nullum locum, nullam occasionem prætermittere Christianæ Reip. subleuandæ atque sustinendæ. quòd si forte non tales laborum tuorum fructus constiterint, quales afflictæ res expetunt, id certe grauissimis humani generis erratis, atque criminibus attribuendum erit. sed libet de Dei opt. max. benignitate bene sperare, fore scilicet, ut is, quæ sua est clementia, nostra oblitus delicta, mysticum hoc dilecti filij sui corpus, multis ac fædissimis hæresibus distractum ac propè discerptum, misericordi tandem oculo respiciat, & in pristinam coniunctionem integritatemque restituat; cuius sanè beneficij, & gratiæ satis, opinamur, signi, & quasi pignoris uel inde capere quodammodo possemus, si, ut tibi scribis in sermone quosdam iniecisse, Protestantes quoque ipsi adducerentur, ut uellent suos Oratores ad Oecumenicum concilium bono, concordique animo mittere. id quod quamuis optandum magis, quàm sperandum uideatur, tamen iuuat nos, eiusdem Dei bonitate, ac potentia fretos, de hoc etiam unà tecum bona spe esse. Ex Bracarensis Archiepiscopi ad hanc urbem aduentu eximiam uoluptatem te percepturum esse, uel te tacente sciebamus, coniecturam de nobis facientes, quippe qui mirum in modum cuperemus, non solum ex Lusitania, uerum etiam ex ultimis terris probos, doctosque uiros ad solemne concilium celebrandum frequentes conuenire, quò magis propinquiores & nobis coniunctiores puderet suæ pigritiæ, atque ita illorum exemplo stimulati ad operam, quam debent, Christi Ecclesiæ nauandam alacri animo concurrerent. sed tantum abest, ut desiderio huic nostro ulla ex parte adhuc satisfiat, ut ne illos quidem quatuor Episcopos, quos ab urbe certo nos expectare iubebant, uidere nobis ad hanc diem contigerit. Roma accepimus decreuisse Pont. Maximum Card. Ferrariensem in Galliã ob conflatos religionis causa tumultus legare. quam quidem legationem scribunt hominem pium ac fortem post habito omni incommodo alacriter obire, & statutum habere, hoc ipso mense iter ingredi. quod faxit Deus, ut felix sit ac fructuosum. Erat etiam opinio fore, ut in Hispaniam

niam quoque legatus mitteretur Card. Ferrerius. ſed de eo nihil dum certi. Vale. Tridenti. Non. Iun. M D L X I.

Stanislao Hoſio Card. Vuarmienſi.

QVO' ſæpius ipſe flagrantem tuam ad nos te conferendi cupiditatem patefacis, eò magis tui nobis commoues, augesque deſiderium; ſed tamen cum liceat coniectura aſſequi Pont. Max. ad cuius rectam uoluntatem debemus omnes noſtras cogitationes referre, nulla alia ratione adductum morã tuæ profectioni iniicere, quàm quòd exiſtimet, nomen, auctoritatemque tuam pluris iſtic in præſentia eſſe, leniamus oportet mutuum hoc noſtrum deſiderium, cum præſertim ſperare poſsimus, illud nos non ita diu laturos eſſe, ſi quidem pro certo nunciatur, ſpopondiſſe Regem catholicum, oratores ſe, ac ſui regni Epiſcopos ad concilium breui tempore omnino miſſurum. qua de re cum inter omnes ſatis iam conſtare arbitremur, in ſpem adducimur minime dubiam, fore, ut ipſe etiam Imperator ſuos quàm primum alleget, itaque fiat tibi citius decedendi poteſtas. Interea rem iſtic publicam, quàm poteris diligentiſsime curare non intermittes, atque illud in primis à Maieſtate Cæſarea pro ſua in Chriſtianum populum charitate, proq; ſumma erga Deũ pietate maiorem in modum flagitabis, ut in conuentibus, quos per ſui imperij prouincias habere conſtituit, nihil prius, ſtudioſiusve agendum ſibi proponat, quàm ut Romanæ Eccleſiæ tum in Oecumenico deliberando concilio, tum aliis in rebus propenſo, ardentique animo faueat. Hoc eſt eius quam Maieſtas ſua gerit, perſonæ maxime proprium, hoc omnes boni, atque ipſa tempora, quæque imminent pericula uehementer expetunt, hoc denique ſibi met ipſi ſalutarius, aut glorioſius facere nihil poteſt. Hunc igitur tu eius animum ſi impuleris, uel potius currentem, ut ſperamus, ſi incitaueris, nihil ſanè erit cur te iſtis in locis aliquandiu conſtitiſſe pœniteat. ſed hæc ipſe per te multo melius. nos certe malumus pro ratione officij noſtri; & pro incredibili quodam amoris ardore, uel non neceſſaria attingere, quàm uideri (quantum in nobis eſt) quicquam prætermiſiſſe. De conuentu à Rege Gallorum indicto iam audieramus, & quidem nobis quoque

bis quoque in mentem uenerat de eo tale quippiam ſuſpicari, quale uideris & tu ſubuereri. uerumtamen confidimus eorũ machinationes, ſi iniquæ, atque impiæ extiterint, ſua ipſas mole ruituras, præſertim ſi ceteri Chriſtiani principes una & mente & ratione de germana fide retinenda, ſeruandaque conſenſerint. Tandem (quod caput eſt) in Deo Opt. Max. cuius res agitur, ſpem magnam reponimus. Vale. Tridenti. Cal. Quint. MDLXI.

Friderico Staphylo.

EX literis tuis modeſte, prudenterque ſcriptis in ea opinione, quam de ſcientia, integritate, & uirtute tua conceperamus, planè confirmati ſumus. itaque illas & legimus libentiſsime, & Romam, ut primum occaſio oblata eſt, ad Card. Borromeum miſimus unà cum exemplo epiſtolæ, quam eiſdem de rebus Bauariæ dux eodem ferè tempore ad nos dederat. ex qua quidem epiſtola ueriſsimum, id eſſe cognouimus, quod ipſe poſtremo adſcribis, ſibi uidelicet iam antea ſtatutum fuiſſe, te huc inter cæteros concilij cauſa ſuo nomine mittere. Qua re nobis, ac Pont. Max. nunciata, non ſolum excuſationem tuam æquo animo accepimus, ſed etiam fidem, conſtantiam, egregiamq; uoluntatem catholico iſti, & iuſtiſsimo Principi obſequendi mirifice probauimus. cui certe Pont. Max. & nos omnes tantum tribuimus, tantumque merito confidimus, ut uideamur nobis plus quodammodo, quàm optaremus, hac in re conſequuti, quando ipſius nomine concilio interfuturus es, noſtrãq; pariter uel potius communem ſanctæ Eccleſiæ cauſam pro parte tua enixe defenſurus, neque uero non debes tu quoque, ut putamus, id ita euenturum eſſe, plurimum gaudere, ſi quidem eodẽ tempore & tuæ fidei, ſtudioque erga Ducem, & Pont. Max. poſtulationi, atque omnium noſtrum deſiderio cumulate ſatisfacies. Cum igitur Dux ipſe benigne polliceatur, daturum ſe operam, ſtatim ac audiuerit Imperatorem legatos Tridentum ad conciliũ emiſiſſe (quod certe nos breui futurum ſperamus) ut ſui quoque unà tecum eodem ſe conferant, nihil tibi ſit tanti, ut te ad proficiſcendum, ſuperatis quibuſcunque impedimentis, alacri animo non compares, & omnibus rebus poſthabitis, eò nunc ad Chri-

ſtianam remp. ſubleuandam accurras, ubi diuino afflante ſpiritu de conuulſo eius ſtatu reſtituendo, ac fulciendo de communi ſacri concilij ſententia & auctoritate agendum eſt. Atque eo quidem meliore ſpe omnem tuam cogitationem conuertere huc debes, quòd Duci inſeruiturus es omnium optimo, & gratiſsimo, tuique uti coniecimus ex ipſius literis, maxime cupido, à nobiſq; præterea nullum genus officij aut gratiæ deſiderabis. id ita fore fac tibi perſuadeas. non fallemus expectationem tuam. Vale. Tridenti. prid. Non. Auguſti M D L X I

Bauariæ Duci.

TAMETSI de optima tua uoluntate, ſummoq; in Chriſtianam religionem ſtudio omnia nobis ipſi iam antea pollicebamur, quippe qui non ignoraremus, te in tantis Germaniæ motibus, totque defectionibus eorum, qui à uero Dei cultu, ſanctiſsimiſque legibus receſſerunt, conſtantiſsime ſemper in recta gubernandi ratione, & laudabilibus maiorum inſtitutis perſtitiſſe, atque adeo labentibus pleriſque, catholicæ eccleſiæ uexilla fortiter in tua prouincia retinuiſſe, tamen gratiſsimum nobis & iucundiſsimum fuit, certo cognouiſſe ex ipſis literis tuis, fore, ut partes tuæ in hoc ſanctiſsimo concilij celebrandi propoſito nequaquam deſiderentur. Facis ſane tu, Princeps optime, ex dignitate tua, & è rep. Chriſtiana, quæ quidem cùm multum tibi iam debet propter multos labores, quos pro eius defenſione aſsiduè ſuſtines, tum longè plurimum debebit, ſi, quemadmodum humaniſsimè recipis, hoc opportuniſsimo tempore ipſius cauſam totis uiribus adiuuandam ſuſceperis, ad quod præſtandum iam tempus eſſe uidetur, ut quæcunque expedire iudicaueris, ſtudioſe præpares: quamuis enim pauci admodum (omnia licet ſumma pro imbecillitate noſtra, proque rei difficultate facientibus nobis) ad hanc diem conuenerint, tamen, cum pollicitus tandem fuerit Rex catholicus, curaturum ſe omnino, ut cum primum per calores licuerit, ſui & oratores, & Epiſcopi ſe ſe in uiam dent, nec dubitemus, quin, hac ipſius deliberatione cognita, nō modo Imp. uerum etiam plures alij Chriſtiani Principes idem facturi ſint, in ſpem uenimus, fore, ut concilium bonis

nis auſpiciis, hoc eſt bonis Chriſto uotis, & optatis fauente, non ita longo interuallo inchoetur, progreſſum meliorem habeat, finem demum ad Dei laudem optimum obtineat. qui dies ſi quando nobis, & populo fideli lætiſsimus diuina miſericordia illuxerit, tum uero nos quantum profecerimus, quantumque uixerimus, non pœnitebit. Pont. certe maximo negotium hoc tam eſt cordi, quàm quod maximè; nosque etiam muneri noſtro, quãtum in nobis erit, nec fide, nec opera, nec conſilio deerimus. quæ cum ita ſint, te etiam atque etiam hortamur, & rogamus, ut uelis tuos legatos & theologos ex ijs delectos, qui tum ſolida doctrina, tum pura religione emineant ad concilium ſine longiore mora legare. Nam quòd ad Staphylum attinet, probat, Pont. Max. & ſummopere commendat propoſitum tuum, nosque itidem magnam tibi eo nomine gratiam habemus, cum præſertim confidamus, non minus fideli tuorum nos hominum, quàm noſtrorum opera uſuros, atque idem ipſi Staphylo pluribus uerbis reſcripſimus, affirmantes, eum, dum uoluntati, ac mandatis tuis paruerit, Pont. Max. poſtulationi, ac omnium noſtrum deſiderio abundè ſatisfacturum. Vale. Tridenti. Pridie Nonas Auguſti. MDLXI.

Archiepiſcopo Gneſuen. Poloniæ regni Primati.

MAGNAM profecto uoluptatem cepimus omnes ex Abbatis Sulcouienſis aduentu, uel propter auctoritatẽ; quam per ſe ipſe cauſæ noſtræ afferet, dum unus ex iſto nobiliſsimo regno huic publico cõcilij negotio intererit: uel propter ſpem, quam dedit, breui etiam affuturos Regis ueſtri oratores unà cum nonnullis Epiſcopis; neque uero non ea etiam de cauſa hominem libenter uidimus, benigneque excepimus, quòd cum primum nos inuiſit, ſalutem nobis tuo nomine plurimam nunciauit. quod quidem certe ita nobis gratum fuit, ut non alienum duxerimus, his, quæ ei coram diximus, aliquid etiam litterarum addere, quibus aliqua ex parte declararemus ſummũ amorem quo te iamdudum proſequimur, partim ob præclarum Card. Vuarmienſis collegæ noſtri de tua uirtute, ac religione teſtimonium, partim ob præcipuum noſtrum erga honeſtiſsimam natio-

nem uestram studium ac uoluntatem. Quare fac tibi persuadeas nullum esse officij genus, quod non possis à nobis sperare atque expectare, siue ad hoc publicum legationis munus, quo hic fungimur, siue ad priuatas nostras rationes pertineat. Id re ipsa, si fuerit occasio, apertius cognosces. Vale. Tridenti. xiij. Cal. Decemb. MDLXI.

Episcopo Astunensi.

QVOD Pontificis maximi mandato, quo te una cum reliquis Episcopis, qui Card. Ferrariensem in Galliam essent prosequuti, ad hanc synodum reuocauit, tá promptè parueris, summopere laudamus: quamuis enim nobis persuaderemus, tuam operam illic etiam non inutilem futuram, tamen eò potissimum accurrendum uidetur, ubi Reip. Christianæ causa de communi sententia, atque auctoritate tractanda proponitur, iubente præsertim Pont. Max. à quo quidem tanquam à capite nemo nostrum debet omnino quicquam discrepare. Neque uero excusationem, quam affers, cur Bononiæ subsideris, non libenter accipimus; tuæ enim non modo saluti, uerum etiam cómodis, quantum fieri potest, consultum maxime cupimus. Sed cum iam concilio celebrando, diuino afflante numine, aditus patefactus sit, te ualde hortamur, & rogamus, ut uelis, cum primum per ualetudinem licuerit, huc te conferre, pro certo habens, nihil te hoc tempore aut nobis gratius, aut tibi ipsi honestius facere posse. Vale. Tridenti. xj. Cal. Febr. MDLXII.

Cardinali Lusitano.

NOS uero molestiam & solicitudinem, qua tu afficeris ob grauissima sanctæ ecclesiæ uulnera non solum ex animi nostri sensu facile coniicimus, sed etiam ex præcipua cura, quàm ipse pro eis sanandis asiduè suscipis, apertissime intelligimus; qui enim tuæ uitæ cursum, cum propter tuum eximium amplitudinis, uirtutisque splendorem, tum propter eam, quæ inter nos est, ordinis coniunctionem nunquam non obseruauerimus, uidere nobis uisi sumus, talem te semper in fide catholica;

ſedisque Apoſtolicæ dignitate tuenda præbuiſſe, quales ſingulos ſingulis in regnis ſi habuiſſemus, Chriſtiana certe reſp. meliore nunc loco & pulchriore ſtatu eſſet. neque uero noſtra hæc tantũ, ſed omnium bonorum communis eſt opinio, quorum ſanè conſentiente uoce ſumma tua ſapientia, fides, ac pietas prædicatur. Huic igitur rectiſsimo propoſito tuo & præclaro de te hominum iudicio conſtanter hoc tempore reſpondiſti, dum ſanctum œcumenici concilij negocium, quod uere unicum eſſe uidetur tantarum calamitatum remedium, & aliis quibuſcunque potuiſti rationibus adiuuiſti, & in primis curando, ut eiuſmodi uir à Rege tuo huc legaretur, qui non modo regiæ, quam geret, perſonæ maieſtate, ſed propria etiam nobilitate ſua multum ſit auctoritatis huic publicæ cauſæ allaturus. Qua propter dubitare nullo pacto debes, quin ille futurus ſit uniuerſæ ſynodo maxime commẽdatus, & charus, nedum nobis, qui profecto tua cauſa nihil eſt, quod iampridem non uehementiſsime cupiamus. Nam quod pertinet ad fratrem Franciſcum Forerium, quem nobis antiquiori epiſtola ita commendas, itaque probas, ut eius operam nobis opportuniſsimam fore planè confidamus, pollicemur, nos homini nullo loco defuturos, & omnino diligentiſsimè curaturos, quẽadmodum ei coram recepimus, ut neque tu abſens, neque tui præſentes ullum à nobis officij genus deſiderent. nec facere poſſumus, quin in eo quoque immenſum tuum erga religionem ſtudium admiremur, & laudemus, quòd talem uirum, cuius opera familiariter utebaris, publicæ utilitatis gratia æquo animo à te dimiſeris. nimirum ſapientiſsimè, tu quidem proſpexiſti, eius doctrinæ, ac probitatis fructum latius hinc, tanquam ex communi conuentu in ſpiritus ſancti nomine congregato, in omnes partes emanaturũ. Faxit Deus omnipotens, cuius tu eccleſiam perpetuo tibi defendendam conſtituiſti, ut tam piam mentem, præſtantemque animum digna præmia conſequantur. Vale. Tridenti. Prid. Id. Febr. M D LXII.

Luſitaniæ Regi.

AD eam lætitiam, quam cepimus ex Oratoris tui aduentu, magnus ſanè cumulus acceſsit ex literis quas ad nos dediſti, hu-

ſti humaniſsimi officij plenas, in quibus plus omnino nobis tribuis, quàm ipſi agnoſcamus aut poſtulemus: quamuis enim non mediocriter ſimus gauiſi, tale de nobis à te fieri iudicium, intelligimus tamen, ualde nobis laborandum eſſe, quomodo tàm grauem de nobis tueamur opinionem. Quòd ſi arduam huius prouinciæ, quam nos parendi ſtudio ſuſcepimus, adminiſtrationem ex noſtra facultate penderemus, animum propè demitteremus. ſed quando clementiſsimi unius Dei auxilium reſpicimus, cuius Sanctæ Eccleſiæ omni noſtra opera, induſtria, labore, ſanguine ipſo inſeruire cupimus, non plane diffidimus, poſſe nos diuina ope nixos, bonorum expectationi pro rei difficultate aliqua ex parte ſatisfacere, præſertim cum egregia Pont. maximi pietas, optimaque ad fluctuantem Petri nauem ſtabiliendam uoluntas, ſimul & ſumma eorum, qui huc iam conueniunt, ſapientia, ac uirtus animum noſtrum erigant, atque ſuſtentent. neque uero non multum ſpei nobis affert præſidium, quod nobis in tuis opibus, admirabilique Reginæ, & Cardinalis magni Patrui tui conſilio puræque religionis ſtudio poſitum eſſe uidemus, & quidem incredibile eſt, quantum iſtinc adiumenti ad catholicam Eccleſiã ſubleuandam omnes boni expectent, quippe meminerunt ab iis Regibus te ortum eſſe, qui Chriſti fidem ad ignotas gentes longe traduxere, ne dum ipſi in ſuæ ditionis populis conſtantiſsime retinuerunt. quare nemo dubitat, quin & ipſe præſtantiſsimorum maiorum tuorum ueſtigia perſequens, in ea ratione Sanctæ Apoſtolicæ ſedis obſeruandæ, ac tuendæ permanſurus ſis, quæ generoſæ ſtirpi tuæ eximiam ſemper laudem, & gloriam attulit, cuius certe rei magnum pignus hoc neceſſario tẽpore abs te habemus, cum ex tuo regno, licet remotiſsimo, Antiſtites religione, doctrinaque ornatiſsimi omnium ferè primi ad ſacrum œcumenicum concilium accurrerint, eodemque ipſe deinceps uirum non minore animi integritate, quàm generis claritate inſignem, Legatum miſeris. qui quidem hactenus grauiſsimum literarum tuarum teſtimonium præclare comprobauit, atque idem poſthac eũ præſtaturum eſſe, certo nobis cum perſuadeamus, affirmamus tibi, nos & ipſum hominem, & omnes res, quæ ſua intereſſe uidebuntur, quibuſcunque ſtudiis, quo ad eius fieri poterit, ita proſequuturos, ut facile intelligat, nos ſui cupidiſsimos eſſe.

Fratrem

Fratrem uero Franciſcum Forerium, quem nobis altera epiſtola uehementer commendas, eò libentius amplectemur, quemadmodum ſibi ipſi præſenti ſumus polliciti, quò magis ſperamus, illum ſuo ingenio, ſuaque eruditione, ac uirtute magno uſui noſtræ cauſæ futurum. Vale. Tridenti. Prid. Id. Febr. MDLXII.

Card. Tranſiluaniæ alterius Card. nomine.

CARDINALEM te factum eſſe, nemo eſt, opinor, modò ne ſit ipſi Chriſtiano nomini infenſus, quin mirificè gaudeat, & lætetur: cui enim uirtus tua, cui probitas ac religio, cui maximus rerum uſus & authoritas non eſt plane perſpecta? ego quidem quo primum tempore nuncius de amplificatione iſta dignitatis tuæ ad me peruenit, cogitans, collega me tam bono, tamque illuſtri auctum, quem etiam antea ob eximiã eius uirtutem & ſingularem in Chriſtiana religione tuenda fidem & conſtantiam cum amabam ex animo, tum plurimi faciebam, incredibilem ſtatim lætitiæ uoluptatem cepi. qua non putaui poſſe ſatis iucundè perfrui, niſi tecum eam per literas communicarem. Nam quid de iſta tibi dignitate gratuler, quæ tamet ſi ſumma eſt & honeſtiſsima, tamen non plus tibi ſplendoris afferre poſſe uideatur, quàm tu ei commodi uel ornamenti? ſed gratulor tamen, quòd ea tibi nouo ferme more, aut raro certe admodum exemplo unà cum purpuræ uſu, omnibus alicuius ordinis religionem profeſsis interdicto, frequenti ſenatu cum maxima ampliſsimi ordinis uniuerſi uoluptate, & ſumma tuarum laudum teſtificatione delata eſt: hac enim ratione Pont. Max. dum te extraordinariis honoribus ornat, hanc dignitatem uirtuti tuæ iampridem debitam reddi nunc potius, quàm gratiæ tribui, perſpicue declarauit. Qua in re non poteſt eius conſilium, iudiciumq; non ſumme probari: cum enim tantos pro Chriſtiana Rep. ſubleuanda labores ſuſceperis, tantum in uera religione tuenda ſtudij & operæ poſueris, tanta, dum populos iſtos in fide retines, pericula adieris, niſi raro iſto & maxime honorifico exemplo hunc tibi honorem ultro detuliſſet, uideri potuiſſet parum tibi pro dignitate tua ac tuis in Apoſtolicam ſedem meritis, tribuiſſe. Gratulor igitur tibi hanc ob cauſam mirum in modum; gratulor deinde

inde Romanæ Ecclesiæ, quòd his temporibus, quibus tot fluctibus, tot, tantisque tempestatibus catholica Dei ecclesia iactatur, is uir in amplissimum hunc senatum lectus est, qui tum suo eam poterit consilio ac sapientia maximè adiuuare, tum fortitudine atque auctoritate optimè tueri. Gratulor etiam Reip. Christianæ uniuersæ, quæ eo maiora nunc abs te & potest, & debet cum sperare, tum expectare, quo in altiore dignitatis gradu constitutus maiore cum auctoritate in suscepta abs te prouincia uersaberis, & rem istic publicam administrabis. nisi uero dubitet quisquam, ne de animi alacritate tua & singulari studio, quod ei hactenus præstitisti, propter istam accessionem honoris aliquid remittas; quando illud quisque sibi persuadere debet, fore, ut hoc plus animi, industriæque & laboris adhibeas ad munus uoluntate tua susceptum præclare conficiendum, qui in excelsa & sublimi nunc quasi specula collocatus, hoc ipsum non fidei modo & constantiæ gratia, uerum officij etiam & exempli præstare debes. Gratulor postremo etiam mihi, cui talem socium & collegam adepto præsto aderit uir, cum uirtute, tum rerum gestarum gloria florentissimus, quem propositum habeam optimorum consiliorum atque omnium ferme actionum mearum quasi grauissimũ auctorem. Reliquum est, ut me, meamque tibi operam ac studium, mea denique omnia deferam, quemadmodum ex animo & sine exceptione defero. Deus Optimus Max. hunc tibi honorem fortunet, faciatque ut tantæ sit Reip. Christianæ utilitati, quantam & præsens necessitas postulat, & speramus abs te omnes atque expectamus. Vale.

Card. Transiluaniæ alterius Card. nomine.

STATIM ac nuncius ad me perlatus est, fuisse te à Pont. Max. Cardinalem declaratum cum summa laudum tuarum prædicatione, & totius amplissimi ordinis assensu, maxima profectò lætitia sum affectus, putauique mei esse muneris, eam tibi per literas aliqua ex parte declarare; nec enim fieri posse existimabam, ut uerba mihi suppeterent ad illius magnitudinem explicandam. De amplificatione uero ista dignitatis tuæ nihil equidem esse duco, cur tibi quisquam gratuletur, cum is uir sis, ea

rerum

rerum gestarum gloria floreas, ea demum sint tua in Christianam Remp. merita, ut nullo honore longe superior non uidearis. Sed tamen ea de re tibi gratulandũ omnino censeo, quòd in hoc tibi honore deferendo dum Pont. Max. te solum eo die in senatum legit, dum nullo, aut raro certe admodum exemplo purpuræ tibi usum, Franciscani ordinis religionem iam pridem professo, ultro obtulit, præstantissimis illum quidem persæpe uiris in eo, quo tu nunc es, statu collocatis antea denegatum, dum te extraordinarijs tandem quibuscunq; potest honoribus cumulauit, iudicium fecit, ac uniuerso terrarum orbi perspicue declarauit, fuisse. Hanc tibi dignitatem ne dicam plus, certe æquè debitam, atque alij ulli qui sit ante hanc diem in apostolicum collegium cooptatus, aut possit in posterum cooptari. Tulisti igitur eo die insigne, amplumq; eximiæ uirtutis tuæ, singularisq; in religione tuenda fidei & constantiæ testimonium. Quo quidem nomine uere tibi & ex animo gratulor: Gratulor deinde honori ipsi, qui quamuis maxime splendeat, & sit amplissimus, multo tamen nunc mihi per te uidetur honestior atque illustrior effectus. Gratulor postremo bonis & Reip. Christianæ uniuersæ, illis quidẽ ꝙ cum Pont. Max. hunc honorem cœperit uiris de sede Apostolica benemeritis & uirtute præstantibus ultro deferre, qui tantis soleat plerumq; studijs, tantis opibus, tanta denique ambitione quæri & postulari, existimare rectè poterunt, fore ut in eo post hac committendo meriti potius, quàm gratiæ ratio habeatur. & in spem uenire hauditadubiam, ut ipsorum etiam uirtuti debitum aliquando præmiũ reddatur; huic uero, quia hoc exemplo excellentes quique ingenij, iudicij, & probitatis laude uiri ad bene de ea promerendum fient alacriores, & ipsa de te ac præstanti uirtute tua eò maiorem utilitatẽ & uberiores fructus capiet quò in altiore dignitatis gradu constitutus maiore cum authoritate istic eris, & maiore animi alacritate in eo omne studium pones, ut susceptum abs te munus conficias, & facultatem, denique habebis animum in eius commoda propensum omnibus in locis apertius explicandi. Quòd uerò ad me attinet, sensi de te semper optimè ac plurimi te feci, fama ipsa uirtutis tuæ & rerum gestarum gloria excitatus, atq; uno uirtutis nomine nulla inter nos consuetudine intercedente mirifice dilexi nunc cum amicitia iam inter nos instituta sit hac collegij

& honoris communitate, quæ maximum necesse est ad uoluntates nostras copulādas uinculum attulerit, illud affirmare possum, me beneuolentiam, atq; obseruantiam, qua te hactenus prosequutus sum, esse perpetuò conseruaturum, atque adeo magis in dies aucturum, quemadmodum & meum ingenium, & tua excellens uirtus, maximusq; rerum usus & grauissima authoritas postulant. Precor Deum opt. max. ut is honor sempiternæ tibi & felicitati & laudi sit, nec minori, quàm quisq; sperat, bonis omnibus utilitati. Me uerò ipsum tibi, meaque studia, atque fortunas omnes, tam ex animo defero, ut nihil mihi sit gratius futurum, quàm si ijs tu non secus ac tuis sine ulla exceptione usus fueris. Vale.

Card. Transsiluaniæ alterius Card. nomine.

SI unquam in uiro quopiā in amplissimum Cardinalium collegium cooptando intellectum est, non gratiæ, sed uirtutis rationem habitam, & dignitatem potius spectatam talem honorem accipientis, quàm dantis uoluntatem: id eo die maximè perspectū est, quo tu die es aliud cogitans à Pont. Max. totius amplissimi ordinis consensu, & cum honorifica laudum, meritorumque tuorum in Remp. Christianam commemoratione Cardinalis declaratus. Quo autem die summa eiusdem ordinis uoluntate omnia tibi eius dignitatis insignia extra ordinem decreta sunt, ac raro admodum exemplo, usus purpuræ Franciscani ordinis religionem professo ultro oblatus est, eo uerò perspicuè declaratum est, nullum esse tātum honorem, qui par dignitati tuæ esse posit, & amplum tibi atq; illustre eximæ uirtutis tuæ pietatisque & religionis testimonium publicè redditum. Quo quidem nomine non possum tibi non maximè gratulari. nam quod ad honorem ipsum attinet, non uideo, cur tibi magis, quàm illi gratulandum sit, cum tametsi est amplissimus & maximè lucet, tamē non minus ille per te, quàm tu per illum ornatior mihi atque illustrior effectus esse uideatur. Verumtamen de eo quoque & tibi, & ipsi Reip. Christianæ eam ob causam nō mediocriter & uere gratulor, quòd hæc accessio dignitatis ac maior per eā authoritas accepta ad grauissima ista negotia transigenda & populos in fide retinendos plurimum te adiuuabit, & rebus istic cōpositis atque ex sententia confectis

fectis, habebis hic locum, ubi admirabiles uirtutes ingenij, prudētiæ, fortitudinis, atq; integritatis tuæ cum magna laude tua & maximo Reip. Christianæ ac bonorum omnium commodo explices: nec enim dubitare quisquam potest, quin magnopere laboraturus sis, ut hoc eas in posterum Romana ecclesia cum maiore utilitate & uoluptate experiatur, quo pluribus, atque amplioribus ab eius Antistite auctus es honoribus. In quo ego quidem confido esse te hominum opinioni, & spei, quam de te mirificam cōcitasti, cumulate respōsurum, utq; id ita eueniat, atque is honor perpetuæ tibi laudi ac felicitati sit, & maximæ cum amicis, tum bonis omnibus utilitati, Deum Opt. Max. supplex etiam atque etiam rogo. De me uero pauca sunt, quæ uelim scias. nec uerò scribam ad te, quātā ex amplificatione dignitatis tuæ lætitiā acceperim; id enim potes ꝑ te ipsum intelligere si nosti me nunquam solere æquè lætari, atque cum audio hunc honorem uiro cuipiam committi, & rerum usu, & uirtute insigni; te uerò tum fecisse semper plurimi propter altitudinem animi & singularem uirtutem, cum propter potentiam, quam fortuna uirtutem sequuta tibi tribuisse uidetur, maxime admiratum fuisse. qui igitur te antea uno uirtutis nomine suspiciebam, nunc certe propter coniunctionem honoris summo amore complector. Quamobrem studium tibi meum & fortunas omnes ultro defero, idque cum ex animo & uere faciam, illud spōdeo & recipio, si eadem tu mihi uoluntatem, ut spero, præstiteris, daturum me operam, ne te unquam iudicij tui & beneuoli in me animi pœniteat. Vale.

Felici Tirannio Vrbini Episcopo.

DVAE sunt causæ, quibus potissimum solent homines de cuiuspiam aut commodi, aut dignitatis amplificatione lætitiam capere: quarum una est, si eiusmodi uir sit, qui in eū gradum nō casu, & fortuitu deuenisse, sed probitatis ac uirtutis merito in eo collocatus fuisse uideatur; quis enim uirtutem non adamet, non amplectatur, nō quouis honore dignissimum existimet? Altera uerò est, si quo cognationis, amicitiæuè aut familiaritatis uinculo cum eo iuncti simus; id enim natura in communi hominū sensu atque animo insitum penitus & afixum est, ut eorum, quos

diligunt, rebus secundis lætentur mœreant aduersis. Harum sanè utrauis causarum idonea est ipsa per se se, quæ gaudium in nobis non mediocre excitet ac pariat, & quemadmodum humana hæc est & probabilis, sic rectissima illa, & uerissima. Quòd si accidat aliquando ut ambæ unà cōcurrant; tunc uero eximia quædam gaudij magnitudo existat necesse est. Id ego fueram antea cogitatione duntaxat complexus, nunc re ipsa sensi, & in me sum expertus. Cum primum.n. nuncius ad nos perlatus est, te summa tum Pont. Max. tum amplissimi totius ordinis uoluntate ac studio episcopū Vrbini factum esse, tanto sum repente gaudio perfusus, ut illud capere animus uix posset. Nimirum aderāt ambæ, quas dixi, causæ, & inter se connexæ maximè erant: nam eam quisque inter uirtutem uidet, eam grauitatem, prudentiam, ac probitatem quæ maiora etiam promereatur, grauioraque possit munera tum fidenter suscipere, tum præclare sustinere. Familiaritas uerò tanta mihi tecum est, quantam intercedere inter nos iudicari facile potest ex summa mea in te pietate, & obseruantia, tuoque item in me ac fratres meos singulari amore & plurimis officijs. Nam ut de Alexandro taceam, quem monitis, & cohortationibus multum semper adiuuasti, & quotidie adiuuas, quæ tandem, quantaque sunt tua in me in Ludouicum atque Hieronymū fratres beneficia? qui cum acerbissimo illo Rodulphi Cardinalis patroni nostri interitu, quasi grauissimo quodam casu repente ita concidissemus, ut uix spes nulla ostenderetur exurgēdi; tu statim curasti; ut quisque nostrum, quoad eius fieri posset, per Cardinalem tuum reficeretur, ac recrearetur; te scilicet authore & adiutore factum est, ut Ludouicus omni Cardinalis studio ex officio subleuaretur, ut Hieronymo eius negotia Romæ procuranda committerētur, in quibus industriam & uirtutem suam commode explicaret; ut ipse deniq; in eiusdem familiam reciperer, eiusque domi tantum otij habeā, & facultatis, quantum uelim, ad literarū studia excolenda: sed nō est hic locus tua omnia in nos beneficia enumerandi. satis sit tantum dixisse, quantum & tibi, & alijs argumento esse potest, merito me uoluptatem ex hac honoris tui accessione incredibilem percepisse. Gaudeo igitur mihi lętorque mirum in modum & triumpho, tibi autem ex animo & uere gratulor, primum quòd tam honestam, tamque illustrem dignitatem & in familiam tuam primus

mus attulisti & in patriam pro longo interuallo retulisti, deinde quòd eam nec prece, nec præmio, nec gratia adeptus es, sed à patrono tuo pro multis, maximisque uigilijs & laboribus eius causa susceptis, ultro oblatam accepisti, in quo uidetur profecto mihi prudentissimus adolescens gloriæ & existimationi suæ non minus, quàm commodo & honori tuo consuluisse: Quis enim eius cõsilium non probet, prudentiam non agnoscat, liberalitatem nõ dilaudet, dum uidet, eum assiduitati, fidei, industriæ, uirtuti denique tuæ, tot tantisque in rebus cum Duci patri suo, donec uixit, tum sibi ipsi mirificè semper probatæ, præmium dignissimum reddidisse? Neque uerò æquum fuit, in quemquam illum potius hãc animi magnitudinem, ac benignitatem patefacere, quàm in eum, quo duce tum multa alia præclarissima, tum etiam illud didicit, hoc esse boni & ueri principis opus, hoc grati & sapientis hominis officium. quem consiliorum fidelissimum auctorem, laborum promptissimum socium, actionum optimum adiutorem habuerit, eundem potissimum honorum commodorum, & fortunarum participem facere. Fruere igitur tu laborum tuorum, ac uigiliarum præmio honestissimo: fruatur ille liberalitatis suæ, & grati animi fructu iucundissimo. Ego uerum Deum optimum maximum etiam atque etiam rogo, ut tibi dignitatem istam fortunet, atq; augeat: illi maiorem in dies facultatem largiatur, bonitatem animi sui, & liberalitatem declarandi. Vale.

Mutio Calino Archiepiscopo Hiaderæ.

TAM & si ego te, ornatissime Antistes, iam ab eo tẽpore diligere atque admirari cœpi, cũ Ludouicus frater meus Venetias Cardinalẽ uestrũ prosequutus, in sermonibus quos mecum habuit sæpe mihi significauit, quàm magna ac uetus necessitudo, & quàm mutuus inter uos amor intercederet, simulque ostẽdit, te ijs moribus, disciplinis & uirtutibus præstare, quarum decore qui sint ornati, ista præsertim ætate qua tu es, dignissimi sane uidentur, ut ab omnibus amentur & suspiciantur, tamẽ ad hanc diem nihil necesse putaui, me ad te scribere, cum præsertim considerem, fore ut te breui tempore uiderem & scirem interim fratrem meum, qui me primus ad te amandum inflammasset, eũdem

futurum tibi optimum testem, & sponsorem mei erga te animi. nunc uerò cum ex literis eiusdem cognouissem, te ab amplissimo Cardinale tuo Hiadere Archiepiscopatu auctum & ornatum esse, putaui arripiendam esse mihi huiusmodi occasionem, & dandam ad te aliquam epistolam, qua tibi simul & meum singularem erga te amorem, obseruantiamque aliqua ex parte indicarem, & gratularer, ut uerè ex animoque gratulor, quòd in honestissimo atq; summo dignitatis gradu à patrono tuo uiro optimo & sapientissimo, collocatus sis, probitatis ac uirtutis tuæ merito, nec uerò scio utri magis hoc nomine gratulandum sit, tibine, qui munus accepisti, an illi, qui dedit; utrique enim uestrum conijcio id maximam laudem & gloriam allaturum esse: nam nec tibi optabilius quicquam aut ad propagationem nominis gloriosius accidere potuit, quàm tale præmium uigiliarum & laborum tuorum iuuenem referre, quod perpetuum erit atque clarissimum testimonium egregiæ uirtutis tuæ, officij, fidei atque innocentiæ; nec ille melius omnino sapientiusue existimationi & gloriæ suæ cōsulere potuisset, quàm hac insigni dignitate eum uirum cohonestando, cuius ipse industria, fide atque opera multis annis integerrima usus est, quique ob eius uariā, & politissimā doctrinā, incredibilem morū integritatē, & reliquas uirtutes eximijs honoribus dignus apparet, itaq; neminem fore existimo, quin illius cōsilium ac liberalitatem adamet, & dilaudet, tuisque pariter cōmodis & fortunis lætetur. Ego uerò opto, et pro summo meo erga uos amore & studio, ut Deus opt. Max. cum tibi dignitatem istam fortunet, atque amplificet, tum illi maiores quotidie opes & facultates cōdonet, quibus possit gratum animum suum, liberalem & magnificum omnibus bonis patefacere. Vale.

N. Cardinali alterius Card. nomine.

CVM esset ad nos allatum, te Cardinalem factum esse, & si primo dubitaui nonnihil, deberē ne tibi hoc nomine gratulari, quoniam huiusmodi uidebantur tempora, ut quæ nunquàm non summopere expetita sint, & omni studio quæsita, ea nunc posset quis suspicari reijcienda propemodum esse: tamen ut me collegi, & animum, cogitationemque conuerti ad præstans

ingenium tuum, & uirtutem ſingularem, ſtatui omnino faciendum mihi ut tibi uel maximè gratularer, præſertim cum ampliſſima dignitas & totius collegij conſenſu & ſoli fere tibi nunc tradita ſit, ac delata, ita ut uidearis non additus aliorum numero, ſed unus ex multis ad extrema Reip. pericula delectus eſſe: quis enim non uideat eum, qui tali tempeſtate ad gubernãdum uocetur, nulla alia, quàm ipſius Reip. utilitatis ac ſalutis cauſa accerſi, neque gratiæ id honoris condonari, ſed uirtuti debitum, qui quidem uerus eſt honos, tribui? nam quod ad tempora attinet, cuperem profectò, ut in meliorem rerum ſtatum incurreret munus tuum: id enim eſſet tibi in præſentia ad animi delectationem multo uberius, & ad quietem uitæ accomodatius; ſed tamen duris hiſce temporibus altitudo animi tui, & uis ingenij ac uirtutis plus certè loci habebit ad excurrendum, optimeque de bonis promerendum, & quidem Remp. proſperis rebus gubernare, ac tueri, non ita magni negocij uideri poſsit, eandem grauiter laborantem rectè curare, inclinatamùe erigere, & conſtituere, id uerò eximiæ cuiuſdam uirtutis eſt, nempe tuæ. Quare bono ſis animo ac forti, & cogita facultatem tibi maximam oblatam eſſe ſummæ gloriæ immortalitatis conſequendæ, ſi hac orbis terrarum perturbatione Chriſtiana Reſp. tot incommodis & malis aliquid remedij te adiutore, atque authore inueniet; quod quidem cum omnes expectare uidentur, tum ego in primis & expecto, & ſpero; poſſum enim pro noſtra neceſsitudine & familiaritate affirmare, te non ſolum conſilium, ſapientiam, authoritatem, & maximarum rerum uſum ad res moderandas allaturum, ſed etiam, quod caput eſt, egregiam uolũtatem, fidem, integritatem & religionem: ut iam omnia poſt præclara iſta comitia aliquanto lætiora fieri uideantur, & ad concordiam res ſpectare. in quam certe curam potiſsimũ debes omnem tuam operam, cogitationem, ſtudiumque conferre, ſi quidem ea conſtituta faciliora tum reliqua fient. uerum confido tibi omnia ſine cuiuſquam cohortatione aut conſilio in mentem ueni re. Quamobrem illuc redeo, ut poſtquam oſtendi, me tibi ipſi merito plurimum gratulatum eſſe, uniuerſę iam Chriſtianę Reip. mihique præcipuè, & omnibus collegis noſtris uerè gratuler. id quod non ſolum à me, cui omnia ſummæ neceſsitudinis uincula tecum intercedunt, uerum etiã à cunctis ubique fieri ſentio cum

magna,

magna, & aperta significatione lætitiæ: quis enim ita impius, ita Christianæ ueritati gloriæq; infensus existat, qui, cū ad gubernaculu la nauis, quæ preciosissimis, sanctissimisq; rebus & uiris onusta ac referta, aduersa ui uentorum agitetur, uideat gubernatorem accedere uigilantem, fidelem, peritum & religiosissimum, mira quadā uoluptate non perfundatur, simulque in spem aliquam ueniat, fore, ut nauis illius opera & auxilio portū aliquando attingat? Quare etiam si molesta tibi ac laboriosa futura sit hæc prouincia, libenti tamen & alacri animo eam suscipere debes communis commodi gratia. ad quod maxime orti, & à natura, Deoque optimo informati sumus. Reliquum iam esset, ut meam tibi operam, quemadmodum fit, & studium pollicerer, uerum id me pluribus agere nec uetus nostra amicitia patitur, plurimis, maximisque officijs perspecta & confirmata, nec meo sane ingenio, moribusque conuenit, quippe qui soleam hæc re magis, cum usu uenerit, quàm uerbis præstare. tantum ergo dicam, posse te rebus meis omnibus, tā quam tuis, sine ulla exceptione uti. Vale. Mantuæ.

Marcello ij. Pont. Max.

TAM & si cum primū audiui de obitu Iulij iij. Pōt. Max. me cum ipse reputans magna tua atq; innumerabilia in Remp. Christianā merita, summamque integritatem, religionem, maximarum rerum usum & sapientiam tuam propè diuinam, statim in spem maximam ueni, fore, ut tu in eius locum cooptareris, & propterea uehementer gaudebam, ac bonis omnibus ex animo gratulabar; tamen quoniam occurrebant ex altera parte perditi nostrorum temporum mores, ingentes dissensiones, tetraque & intolerabilia hominum delicta, unde non nihil timendum uidebatur, ne iustissimus Deus tali nos tantoque rectore & pastore indignos esset iudicaturus, multo sanè maiorem uoluptatem & lætitiam cœpi, postquàm certus ad nos nuncius allatus est, te Pont. Max. factum esse, tanta totius collegij conspiratione & consensu, ut nunquàm ferè post hominum memoriam in tali causa maior extiterit: cuius quidem lætitiæ magnam partem mihi affert dignitas tua: nihil enim poterat tibi optabilius, aut gloriosius accidere, quàm ad summum imperium ita efferri, ut plane constaret in-

ter omnes, illud tibi, ſicut alios honoris gradus, quos antea multos conſequutus fueras, nullam aliam ob cauſam, quàm propter magnitudinem meritorum, & uirtutum excellentiam delatum eſſe: id ſanè apertiſsimè declararũt ſumma Cardinalium ſtudia, propenſiſsimæque erga te uoluntates, & facit tanta præter omnium expectationem celeritas ſine ulla contentione, aut omnino cura, non modo cupiditate uel ambitione tua, ut, quin diuinitus hoc factum ſit, nemo dubitare poſsit: neque uero minorem gaudij mei partem ſibi uendicat commune uniuerſæ reip. Chriſtianæ commodum, quæ quidem ita iam afflicta erat, & perdita, ut, niſi talẽ principem, & gubernatorem, hoc eſt optimum & peritiſsimum nacta eſſet, uix erigi amplius, aut recreari poſſe uideretur; hinc illi hominum concurſus & clamores uulgo te iam ante comitia Pont. Max. poſtulantes, & appellantes, hinc poſtquàm Pont. Max. renuntiatus es, uniuerſi penè orbis terrarum exultationes, hinc crebræ ſapientiſsimi ſenatus laudes, & Deo opt. Max. decretæ paſsim ſupplicationes. Sed hæ uoluptatis & lætitiæ cauſæ ſunt mihi communes cum plurimis; illa uerò magis propria, quòd uideo, eum uirũ cuncto populo Chriſtiano moderando præfectum eſſe, quo epiſcopo patria mea fidiſsimo, integerrimo, & uigilãtiſsimo uſa eſt, quique pro eius incredibili humanitate, ac bonitate, domum noſtram magno ſemper amore, & præcipuis ſtudijs eſt proſequutus, quo magis ſperandum mihi eſſe uidetur, fore, ut nobis perpetuo faueas, adiutorque ſis, ſiquidem & nos nihil ſumus unquàm de ſummo noſtro erga te ſtudio, ſingularique cultu, & obſeruantia remiſſuri, quam etiam augeremus, ſi quis eſſet augendi locus, & tu ita ſemper conſtantia, grauitateque omnibus præſtitiſti; ut uerendum minime ſit, quin memoriam noſtri cõſtantiſsime ſerues. Quod ut facere ne graueris, ſuppliciter etiam atque etiam peto, ſacros S. tuæ pedes demiſſe amplectens, & piè oſculans, Deumq; humiliter deprecans, ut te ad eccleſiæ ſuæ commodum incolumẽ & felicem quàm diutiſsime ſeruet. Vale. Patauij.

N. Card. alterius Card. nomine.

VT primum nuntiatum eſt mihi, te à Pont. Max. uniuerſoque noſtro Cardinalium collegio in hunc ampliſsimum

ordinem cooptatum esse, ea sum affectus lætitia, ut nihil omnino differendum mihi duxerim, quin aliquam huius gaudij partem literis tibi significarem, simulque gratularer de hoc summo amplissimoque dignitatis gradu, præsertim cum multo plures, grauioresque causæ esse uiderentur, cur tibi gratulari deberem, quàm cęteris, qui hanc dignitatem consequuntur: plerique enim tum denique in hunc locum ascendunt, cum & iam matura sint ætate, & maximis, diuturnisque laboribus, ac muneribus perfuncti fuerint: tibi uerò & adolescenti planè, nec iamdiu speranti is honor tributus est, atque ijs studijs, eaque tributus est conditione, qua nemini fere unquàm. quibus quidem ex rebus singularem Pont. Max. erga te amorem, ac pietatem, præclarissimumque de ingenio ac uirtute tua iudicium quis non uideat? cuius sane diuini ac sapientissimi uiri iudicium tanti apud nos esse debet, ut certo putemus, maxime te dignũ fuisse, in quem hæc summa dignitas summis studijs conferretur, nobisque persuadeamus, fore, ut in dies magis lætemur, te nos habere collegam, nisi forte credamus, eo consilio, eaque sapientia uirum in eo uoluisse suum familiæque suæ nomen renouari, quem non certo prospiceret, memoriam illius nominis rerumque tum ab ipso, tum à patribus suis pro Rep. Christiana præclarissimè gestarum non modo non obscuraturum, uerum etiam illustraturum esse. Restat, ut operam tibi meã, studiumque omne sine ulla exceptione pollicear ac deferam; & quidem nihil mihi hoc tempore gratius accidere posset, quàm si qua facultas daretur, qua possem summum meum ac propè fraternum erga te amorem declarare; ut etiam uerè dicam, in magna uoluptate quam cæpi ex hac dignitatis tuæ accessione illud non mediocriter doluerim, non licuisse mihi per absentiam, operam tibi meam ac studium in hoc ipso negocio pręstare; cognouisses enim id quod ut cognoscas ualde cupio, me gloriæ, amplitudinisq; tuæ cupidissimum esse. sed profectò si minus opera, at certe animo ac uoluntate præsto fui, eroque ad omnia, quæ ad honorem utilitatem'ue tuam pertinere sensero, quod tu plane ita esse dubitare non debes: nam ut ætatis, ac dignitatis nostræ æqualitatem mittam, ceteraque permulta, quæ me tecum maximis quibusdam uinculis coniungere uidentur, quanti non modo mihi, sed etiam omnibus hominibus æstimanda est, Pont. Max. præclara erga te uoluntas?

luntas? huius ſanè tanta eſt prudentia, ac ſanctitas, tot, tantaque in me merita, ac beneficia, ut neceſſe ſit mihi, quemcunque ab eo amari intelligam, eundem colere, & obſeruare, atq; adeo quibuſcunque rebus poſsim adiuuare. quod cum ita ſit, curabo tamē, ſi qua occaſio dabitur, ut id re ipſa etiam clarius cognoſcas atque perſpicias. Vale, & me mutuo ama. Peruſiæ.

Stanislao Hoſio Card. Vuarmienſi Herculis Gonzagæ Card. Mantuæ nomine.

MAGNA equidem lætitia ſum affectus, cum primum audiui, noſtrum collegium tot, tantiſque uiris auctum atq; ornatum eſſe. ſed, ut uere dicam, nullius dignitate, ne Franciſcum quidem fratris mei filium excipio, magis gauiſus ſum, quàm tua, neque uero opinor, fore, ut mirum id cuipiam uideatur, ne dum tibi qui profectò, quemadmodum eximiam ſemper in me uoluntatem prætetuliſti, ita de amore erga te meo ſingulari dubitare, nullo pacto debes: quis enim eſt, modo ne ſit Chriſtiano nomini infenſus, quin te Cardinalem factum eſſe mirificè lætetur? mihi certe hoc præſertim tempore, quo me Pont. Maxi. ſacri Concilii Tridenti celebrandi Legatum declarauit, nihil gratius, aut optatius accidere potuit. nam quo minus me aptū eſſe ad tantum munus ſuſtinendum intelligo, eo magis cupio, ad Petri nauem moderandam huiuſmodi gubernatores uocari, qui poſsint eam ab imminēti tempeſtate tueri, integramque ſeruare. quorum ſanè unum, atq; adeo principem te futurum eſſe non ſolum magnopere deſidero pro meo incredibili in Chriſt. Rempu. ſtudio ac pietate, uerum etiam propter ſummam uirtutem, doctrinam, religionemque tuam facile ſpero. cum enim ante hac Romanam Eccleſiam ſtudioſe colueris, ac defenderis, nunc certè eo plura ac præſtantiora à te expectare & poſſumus & debemus. quò in altiore dignitatis gradu conſtitutus, maiore cum authoritate in prouincia iam pridem ſuſcepta uerſaberis, quo quidem iure fit, ut ipſe non tibi ſolum ac mihi, ſed uniuerſæ etiam Reipub. noſtræ de hac tua honoris amplificatione plurimū gratuler, meaque ſtudia, officia, atque opes ultro tibi pollicear, ac deferam. Vale. Mantuæ V. Idibus Martii M D LXI.

N. Card. alterius Card. nomine.

GRATISSIMAE mihi fuerunt literæ tuæ, quibus me Cardinalem factum esse gratularis; ex iis enim facile cognoui, quantum me ames, quantæque tibi curæ sit honor, & dignitas mea. Tu uero sic habeto, multis me quidem rationibus lætatum esse, cum intellexi, me in uestrum sanctissimum collegium cooptatum fuisse, sed hoc potissimum, quòd te collegam habeã, quem cum ob innumerabiles uirtutes, præstantemque doctrinã, tum ob singularẽ erga me amorem, semper sum admiratus, semperque amaui, ac patris loco habui, quamuis te quidem, cum ea prudentia, eo rerum gerẽdarum usu & exercitatione præditus sis, non tam collega, quàm magistro ac duce, uti cogito. Quare illud mihi planè affirmanti credas uelim, te neminem ex hoc collegio habiturũ, qui te magis diligat, magis obseruet, magis denique tua causa cupiat. Id ut re cognoscere possis, cum se occasio obtulerit, diligentissime curabo. Quòd uerò me amantissime hortaris, & admones, ut quam expectationem de me apud uos concitaui, eã sustineam, & tuear, multum te amo, atque ut eum & priuatis, & publicis in rebus me præstem, quẽ tu me esse affirmasti, huiusque tam illustris muneris mihi traditi dignitas maxime postulat, omnibus meis uiribus enitar. Quòd autem ad Fabium attinet, quem mihi diligentissime commendas, uide quæso, quid tua commendatio ponderis habuerit. Is cum antea uix mihi cognitus esset, nunc non inferiori apud me loco est, quàm sit ullus ex ueteribus familiaribus meis. Vale.

Nicolao Rodulpho Card.

ET si superiori etiam anno sæpius à me Ludouicus frater petierat, ut ad te (quemadmodum postulare totius domus nostræ erga te obseruantia tuaque singularia in eam beneficia uidebantur) manus, ut moris est, osculandi causa uenirem, & ut quasi nomen in tuos darem; ego tamen cùm pudore & timiditate quadam mea tum præcipuè fortunæ, ac dignitatis tuæ altitudine, atque splendore deterritus, præsertim cum nihil haberem, quòd posset aditum mihi ad tantum uirum patefacere, semper id subter-

ſubterfugeram. Nunc nero cùm idem frater meus, dixiſſet mihi, certum ſibi eſſe, Balneariam me hac æſtate ſecum ducere, uelle autem planè, ut ante huic erga te officio ſatisfacerem, adiunxiſſetque præterea, committendum non eſſe, quando tam diu hoc diſtuliſſem, ut inanis & nulla cum re, qua poſſet tarditas mea aliqua ex parte corrgi, atque compenſari, ad te adirem, ſtatui faciendum eſſe mihi, ut pulcherrimam illam, elegantiſsimamque Demoſthenis orationem, de corona quæ inſcribitur, quam non multis diebus ante è græco in latinum conuertendam ſuſceperam, tum græcas literas addiſcendi, tum ſtylum exercendi cauſa, quàm primùm abſoluerem, ut poſſem eam mihi tanquam Ducem ad te adhibere. & quanquam non nulla in contrariam partem mihi ueniebant in mētem, atq; illud in primis, quòd à multis iam conuerſa eſt, tamen cùm bonam iam illius partem conuertiſſem, nec aliud quicquam tùm in manibus haberem, atque etiam confiderem, fore, ut eius ſententiarum grauitate & acumine meorum uerborum inſulſitas obtegeretur, malui hanc ipſam conficere, quàm aliud aggredi. eam autem ita uerti, ut non neglexerim, quantum rectè fieri potuit, uerbum uerbo reddere, & maximè laborauerim, membrū membro reſtituere, nec tamen religio fuerit mihi, aliqua interdū uerba uel relinquere, uel addere aut numeri complendi gratia, aut ut melius intelligatur, cum legitur. Hanc igitur tibi detuli, cùm ut eſſet ſtudiorum meorū, quæ tibi planè dicaui, quaſi teſtis, tùm uero, ut ſi eam tibi uiro eruditiſsimo (quantum eſt ab hac mea ætate expectandum atque poſtulandum) non admodum improbari, cognoſcerem, animus meis ſtudijs & alacritas accederet: ſin minus, conarer tamen efficere aſsiduo, diligentique ſtudio, ut poſſem tibi aliquando, uel in hoc genere aliqua ex parte ſatisfacere. Vale, & nos, domumque noſtram, ſi ſentis totam tibi tuis pluribus ſingularibusque beneficijs addictam, deditam, obſtrictam eſſe, eo, quo facis, amore, & benignitate proſequere, ut quo authore inclinata iam caput extollere, & ſurgere cœpit, eodē adiutore prorſus erigatur, atque confirmetur. Romæ.

Braccius Martellus Feſularum epiſcopus Iulio Gabrielio.

QVAE ego de te ad Ludouicum fratrem tuum optimum, mihique cariſsimum ſcripſi, diſertiſsime Iuli, uelim exiſtimes,

ſtimes, me non beneuolentia magis erga te, quàm iudicio quodam meo, & certa ratione ita ſcripſiſſe: Iam pridem enim de tuo ingenio præclara omnia & ſumma mihi pollicitus ſum, quod meum ſanè iudicium ita proximæ tuæ ad me, fratremq́ue tuum literæ comprobarunt, ut cum tibi in his gratulor, mihi quoque ut gaudeam neceſſe ſit: ſignificatur enim in his, quod Marcus Tullius inquit, tanquam in herbis, quæ uirtutis tuæ maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futurę: Habẽt enim miram uerborum, ac ſententiarum grauitatem, & elegantiam, planeq́ue in his uidere eſt prudentis cuiuſdam & eruditæ adoleſcentiæ, dicendi facultatem; qua quidem non ſolum abs te ſcitè cogitata locutione latina, pura quidem & emendata mirabiliter explicantur, ſed ita etiam, ut in his appareat mirus animi tui impetus ad laudem, mentisq́ue ardor ad ſtudia literarum. Quo fit, ut magis, ac magis cum tuo merito te amare & admirari, tum etiam noſtrum de tui ingenij ratione iudiciũ amplexari, & retinere debeamus. Sed de his fuſius aliàs, & ad alios. nam ad te de te ipſo præſertim parcius quidem & uerecundius ſcribendum fuit propter utriusq́ue pudorem; quem tamen abs te non ſatis ſeruatum in mea laude, tuis in literis haud facile patior. Sed ut ad ea ueniam, quæ tibi de meo officio, atq; opera apud Rodulphum tuis in rebus, non minus prolixe, ut ſcribis, quàm uere etiam atque ex animo pollicitus ſum, Scito me non tam' conſtantiæ meę gratia, quàm propenſa quadam in te fratremq́ue tuum uoluntate nihil prætermiſſurum, quod ad commoda & rationes ſtudiorum tuorum conſtituendas, atque amplificandas pertinere poſſe exiſtimabo. Sed quanta ſit hoc tempore apud eũ authoritas mea, ut uerum fatear, planè ignoro. Illud certo ſcio recepiſſe te eum iam pridem in fidem ſuam, tuæq́ue induſtriæ, ingenio, ſtudijsq́ue pollicitum eſſe ſuo tempore nõ defuturum. Nunc te iam iſta ætate, ſplendore ingenij, eruditione, facundia, maximarum artium ſtudio, & cupiditate flagrantem iacere diutius paſſurum non puto. nam præterquàm quòd ad fidem eius & officiũ pertinet; recepit enim, ut dixi, & mecum liberaliſsime de te locutus eſt; cognoui etiam eum ſemper ſtudioſorum artium bonarũ, tuiq́ue ſimilium fautorem omnino adiutoremq́ue fuiſſe. Quare quòd ſpem omnem tui, ut ſcribis, rerumq́ue tuarum in eius præſidio collocatam habeas, factum rectiſsime puto; apud quem etiã

ſiquid

ſiquid cohortationes meæ,precesq́ue ualebunt,tibi profecto,tuis q́ue ualebunt;nihil eſt enim ea in re,apud ipſum Rodulphũ, quod tui cauſa,fratrisq́ue tui facturus nõ ſim; utrumque enim ueſtram mirifice diligo. Ludouicum etiam fratrem, quem ſemper plurimi feci,multo quidem pluris dum ab fui faciendũ duxi,quòd meis in rebus gratum illum & memorem ſum expertus, ſummaq́ue cũ fide hominem,tum etiam beneuolentia. Sed certe mea in uos ſtudia & officia multo exploratiora eſſent uobis & aptiora, ſi Romæ eſſem. Quòd uero te cum ipſo fratre mirifico etiam ſtudio in me & officio eſſe oſtendis, agnoſco humanitatem ueſtram, atque id quidem gratiſsimum habeo & gratias ago:maximo enim uos mihi eſſe ornamento & commodo ſemper exiſtimaui, ſemperq́; plurimum & ſuauitatis, & utilitatis in ueſtro ingenio atque humanitate putabo conſtitutum. Reliquum eſt,ut quoniam in ipſis tuis ad fratrem literis, te non ſatis firma ualetudine eſſe, eiq́ue ſi tibi per fratrem liceat,inſeruire uelle opportunè ſignificas, uehementer probem cõſilium tuum, ut omnem uidelicet adhibeas diligentiam ad te confirmandum,nec quicquam aliud cures hoc tempore, niſi,ut quàm commodiſsime & quàm firmiſsime conualeſcas, quo ea quidem, quæ optas, & quæ agenda tibi propoſuiſti, facilius conſequare. Vale. Bononiæ.

Braccio Martello Feſulanum Epiſcopo.

NON potui non cumulari maximo gaudio, ut uidi literas tuas,qui conſtituiſſem fateri,ſatis me à te habere ea grauitate,eaq́ue occupatione uiro,ſi in litteris tantum, quas ſoles ad Ludouicum fratrem meũ ſcribere ſignificaſſes, meas tẽ non inuitum legiſſe.ſed tu,qui ut probitate, doctrina, conſilio cæteriſq́ue uirtutibus nemini cedis,ita omnes humanitate, & officijs, ſuperare contendis,non ſatis habuiſti id facere,niſi etiam ad breuem & minime elegantem Epiſtolam meam,bene longam elegantiſsimamq́ue reſcriberes.lectis uero literis,incredibile eſt quanta uoluptate perfuſus ſim,quæ enim & quanta in ijs amoris erga me tui ueſtigia? quæ præclaræ uoluntatis indicia?Sed doleo non mediocriter adeò me eſſe uerborum inopem,ita parum ualere ingenio,ut nec poſsim lætitiam hanc explicare,nec gratias tibi pro di

gnitate

gnitate agere, atq; id ipsum efficere iam pridem cupio, & conor, uerum quò magis cogito, eo minus quibus id uerbis faciam repe rio, nec alia ulla sane causa fuit, cur diutius distulerim tibi respon dere, quàm res fortasse postulabat. Velim igitur excusationem meam accipias, & quando facultas mihi non solum ad referēdas, sed etiam ad agendas gratias planè deest, uoluntatem certe ames & complectaris. De me sic habeto, ualere me nunc quidem rectius multo, quàm Romæ cum eram, ut uideatur locus hic, ac cœlum salubre mihi quidem fuisse. Quare cum Perusinus aer non minus sit quàm noster purus, & tenuis, nec parem copiam ibi deesse ui rorum tùm latinè, tum græcè eruditorum, uenit mihi in mentem hūc annum illic traducere, ut posim sine magno studiorum detri mento ualetudini confirmandæ operam dare. De Cardinali bene habet. iacta sunt fundamēta spei. in quo quidem cum tempus fer re uidebitur studio atque opera tua tam familiariter ac libere ute mur, quàm tu eam nobis benigne, & comiter pollicitus es. quin cō fidimus id te loco & tempore uel nullo admonitu nostro tua spō te, quæ tua est humanitas repræsentaturum. Vale. Eugubij.

Iulio Feltrio Card. Vrbin.

QVAM dulcis, & optanda sit patroni, optimi præsertim & humanisimi consuetudo, tùm pręsens experiebar, tùm uerò absens multo magis intelligo. nam cum primum Pe rusia tu, mi Patrone discesisti, tāto sum animi angore oppressus, ut, quasi fida & gregalium studiosa ouis à Pastore suo ac reliquo grege sola relicta, quid agerem, quò me uerterem non haberem, quamobrem satius esse constitui, ut ipse etiā illinc abirem, meque in patriā reciperem, arbitratus fore ut uel loci mutatio, patriæque ipsius dulcedo, uel meorum conuictus plurimum mihi afferret ad dolorem, & desiderium leuandum, quod è te, totaque familia tua incredibile capio. Itaque postridie, quàm uos profecti estis, feci. neque ita tamen uideor mihi multū profecisse illud potius, ac pro pè unicum solatium inuenio, ut in literis, & libris acquiescā meis: hoc enim modo præter uoluptatem, quam ex ipsis studijs perci- pio, accedit præterea, ut uidear mihi eodem tempore tecum quo- dammodo esse, putemq; in eo maxime me tibi gratificari, id quod

in

in primis opto,& potiſsimum quæro,ac ſtudeo. Vale: nec enim habeo quod ad te ex his locis ſcribam, præſertim cum nuncius ad huc nullas poſt ueſtrum diſceſſum de uobis ad nos allatus fuerit. quem quidem auide expectamus, ut poſsimus te, & ſaluum Romam ueniſſe, & ea, qua par eſt, omnium gratulatione, & lætitia fuiſſe exceptum gaudere. Iterum uale,et, ſi ego te perpetuo ubicunq; fueris in domini loco colam & obſeruabo, uelis tu me uel abſentem in numero tuorum ducere: ut enim illud à me cum uirtutes tuæ ſingulares, tùm plurima,& maxima erga nos merita flagitant, ſic id à te tua ſumma bonitas, & humanitas poſtulare uidentur. Eugubio.

Galeatio Florimontio epiſcopo Aquinati.

SCRIPSIT ad me proximis diebus Hieronymus frater meus, cum ille apud te officij cauſa eſſet,& accidiſſet, ut de ijs ſermo haberetur, qui ſe ſe laudant frequentius,& res ſuas paſsim prædicant, dixiſſe ſe: Plutarchum hac de re copioſe diſſeruiſſe,& docuiſſe, qua ratione eſſet hoc uitium fugiendum, quòue modo facere id quiſpiam poſſet ſine inuidia: tum addidiſſe hoc Plutarchi opuſculum latinè à me uerſum fuiſſe, poſtremo, ne ſingula referam, illius legendi poteſtatem tibi à ſe factam. Quod quidem me adeo commouit, ac perturbauit, ut fratri, quem alioqui maxime, ut debeo, uereor, hac de re non potuerim non aliquantum ſubiraſci, quòd meam penè pueri lucubrationem auſus ſit tanti uiri iudicio committere. Is quidem libellus, quem quatuor abhinc annis, cum admodum adoleſcens eſſem, mihi ipſi uerteram; ſuperioribus diebus ſcripta quædam uolutanti mihi in manus cum incidiſſet, uenit in mentem facere, ut eum ad fratrẽ mitterem, non ut alij illum ulli legendum præberet, ſed ut ipſe ſecum haberet, & legeret. accidit igitur contra opinionem meam, ut tu illum legeris; cuius lectionem cum ſuſpicer multis in locis elegantes & acutas aures tuas offendiſſe, uiſum eſt mihi, te obſecrare, ut culpam omnem uel in fratrem, qui eum tibi me nec opinante tradidit, uel certe in eam, qua tum eram, ætatem conferas. ſed quid adoleſcenti tibi, inquies, in mentem uenit Plutarchum non dico uertere ſed attingere omnino, aut legere, ſcriptorem ita

grauem,ita difficilem,ita durum? non abnuo,ea me latine redde-re illa ætate fuisse aggressum, quæ ne nunc quidem satis intellige-re,non fateor modo, uerum etiam profiteor; idque eò arrogan-tius fecisse, quòd cum à nemine hactenus, quod equidem sciam, latine sit libellus hic redditus,nullius uigilijs aut scriptis poteram ad hanc rem adiuuari,si tamen adiuuant, nec nocent pleraque ijs præsertim,qui percipere ac tenere græcas literas purè, & uere stu dent. Agnosco igitur erratum meum,quod tamen illius sit ætatis, quæ, cum discendi studio quodam ardentiore raperetur, parum uidit,quid efficere posset, quiue sui essent termini,& quasi cancel li, & quidem illum ego libellum, pulchritudine tituli allectus, exercitationis tantum causa conuerteram,nunquam fore arbitra-tus,ut in alienas ullius manus deueniret,ne dum in tuas, quibus ni hil planè committēdum existimo, nisi perfectum & omnibus suis numeris absolutum.quòd si id diuinare potuissem, primum certè compresissem omnino meam hanc lucubrationem, ac ne fratri quidem credidissem: deinde precibus à Deo petijssem, ut nullum huiusmodi sermonem apud te haberi sineret, qui causa esse pos-set, ut tibi legenda præberetur, postremo eò me uertissem; ut id ante mea sponte facerem,quod nunc fratre authore feci, ut scili-cet illam iterum cum græco conferrem & diligentius expolirem. feci id igitur(quo ad eius per me fieri potuit)diligētissime,eamq; eidem fratri meo remisi, ut quod antea me inscio atque inuito fe-cit:idem nunc me lubente, atque adeò postulante faciat. Te au-tem rogo,ut tuam de eo sententiam,apertè mihi, ut soles, cuilis-bet, omnia & libere significes: erit enim ea mihi quædam quasi formula & præscriptum ad alia conuertenda, siquid in posterum libuerit è græco latinum facere. Quòd si presius quædam tibi (ut suspicor) & durius etiam nunc dicta uidebuntur, cogitare debe-bis,id eum, qui Plutarchū latinè reddat,fugere uix aut ne uix qui-dem posse,nisi fortè sententia tantum scriptoris excepta, reliqua modo suo tractet. id quod mihi facere non libuit, qui quidem quamuis uerbum uerbo ubique non reddiderim, tamen ubi lati-num occurrit, quod græco arbitratus sim respondere, non com-misi, ut ab authoris breuitate longius discederem ac rem longiori bus anfractibus circumscriberem. Reliquum est,ut scias,me, qui cæteroqui ægre tulerim, fuisse tibi à fratre libellum illum osten-

sum,

ſum,hac una de cauſa facile id paſſum eſſe, quòd occaſionem mihi oblatam putaui; qua poſſem tibi non incommodè meum in te amorem & obſeruantiam, fama ipſa probitatis, ac uirtutis tuæ concitatam,aliqua ex parte ſignificare.Scito igitur,me in te amãdo,& colendo non modo Hieronymo fratri non cedere, à quo te ſcio mirifice diligi & obſeruare, ſed ne cuiquam quidem eorum, qui tecum aſsiduè & familiariter uiuunt. quod ſi pleriſq; mirum fortaſſe uideatur,cum ego te nunquam aut uiderim,aut ſalutauerim,tibi certè confido non ſolum non admirabile,ſed etiam facile uiſum iri,quippe qui non ignoras,quanta uis ſit uirtutis,& quãtos ſoleat illa ſui amores apud omnes excitare. Vale.Peruſiæ.

Galeatius Florimontius Epiſcopus Aquinas
Iulio Gabrielio.

HIERONYMVS natura tibi germanus frater, & idem mihi ætate, & amore chariſsimus filius, literas tuas mihi reddidit,unà cum Plutarchi libello, qui inſcribitur, qua quis ratione ſe ipſum laudare poſsit ſine inuidia,quem tu è Græco in Latinum uertiſti. Iis ego literis reſponſurus, Ciceronis illud ad Trebonium meo iure uſurpare poſſe uideor, & literas tuas legi libenter,& librum libentiſsime,quæ quantum me ad te amandum incitauerint,facile perſpicere poteris ex eo, quòd tecum ſic agam,quemadmodum agere ſoleo cum ijs, quos & plurimum diligo, & magna mihi familiaritate, & neceſsitudine coniunctos habeo; eorum enim mores diligenter perpendens, ſi quid in eis, quod mihi non probetur,deprehenderim, id eos non minus libere,quàm amanter admoneo,quo officij genere mea quidem ſententia in omni amicitia non modo utili, ſed ualde neceſſario, ut ego tecum uel in ipſo noſtræ familiaritatis limine fungar, literæ tuæ effecerunt,in quibus cum legerem,te adeò grauiter tuliſſe, ut etiam expoſtulaueris cum fratre tuo,quòd is libellum à te latinũ factum, mihi legendum dederit, non nihil id ſum miratus, ſenſumque hac de re meum tibi planè aperiendum ſtatui.Nam obſecro te,chariſsime Iuli,quid detrimenti labori tuo ex mea lectione accidere poſſe putaſti? errata,credo,ne à me,ſi qua fuiſſent,deprehenderentur. At fratris exacta lima, qui illum perlegerat atque

cum græco codice diligenter contulerat, te ab hoc metu liberare facile poterat. Sed esto illic errata fuisse, & me talem esse, qui illa notare possim, quod tamen non modestiæ, sed ueritatis causa nego, num indignari te oportuit? ab opere (inquis) nondum recesseram credo. sed num id circo famã ingenij tui in discrimen uenturam uerebare? Hoc equidem nullo pacto timendum erat, quoniam nihil aptius facere, & curare potest is, qui suo labore cupit ingenij, & doctrinæ famam colligere, quàm ut opus suum ante, q̃ in uulgus exeat, à multis legatur, multorumque iudicium subeat. Non te latere arbitror, illius celeberrimi pictoris uulgatissimum factum, qui non prius manum tollebat è tabella, quàm illam oculis populi complures dies antea expositam habuisset. Quod quidem à me sic probatur, ut cũ humano genere præclarissimè actũ iri putem, si natura sic esset comparatum, ut unaquæque mulier conceptum in utero fætum antequàm ad iustam perueniat magnitudinem, ex alueo in solem proferre posset, illumque patri non secus, ac Poetæ poema conspiciendum offerret, ut si quid in eo uitij deprehenderetur, eundem rursus in album includens, instar operis male tornati, incudi redderet, omnibus suis numeris absoluendũ: nimirũ.n. ex eo fieret, ut omnes homines pulcherrime formati in lucem ederentur. Ita nullos uideremus claudos, nullos cæcos, nullos gibbosos, strumososuè, nulla denique monstra nascerentur. Sed quando quod natura in corporibus effingẽdis negauit, id planè in animi quasi fœtibus quibusdam formãdis elargita est, ut quæ in utero mentis concipimus, ea nullo negocio expromere, in manibus habere, oculis aliorum proponere liceat, atque eadem rursus in eundem uterum condere, ibiq; retinere, ac fouere tandiu, quo ad operi manus accedat extrema, cuius est obsecro uel negligentiæ, uel superbiæ in conscribendis, edendisq; libris nullius antea iudicium requirere, suo duntaxat contentum esse? hinc nimirum fit, ut tam multi erroribus referti libri edantur, ut postremo etiam authores ipsos laborum, & uigiliarum suarum frustra pœniteat. Habes mi Iuli, specimen quoddam consuetudinis, & amoris mei, unaque pignus institutæ inter nos amicitiæ. Redeo nunc ad epistolam, in qua quidem, excepta ea, de qua dixi querimonia, quæ tamẽ perinde ac næuus in pulchra facie, eam reddebat uenustiorem, cætera summa mihi laude digna uidebantur. Sed cum eã,

& amo-

& amoris, & obſeruantiæ erga me tuæ notis undiq; conſperſam intuerer, ueluti corruptus iudex, male uerum examinare me poſſe arbitratus, amicis quibuſdam doctrina, iudicio, integritate præſtã tibus, Quintilios diceres, legendam tradidi, quæ ab illis cum ualde laudata eſt, tùm uero minime uulgarem de ſtudijs tuis, & ingenio ſpem atque expectationem concitauit. De libello autem ipſo, ut planè quid ſentiam dicam, illud primum affirmo, mihi titulum ualde arriſiſſe. Deinde ſic te uiſum eſſe omnes authoris ſentẽtias latinis aptisque uerbis exprimere ac reddere, ut laborẽ in illo uertendo tuum ſummopere laudem, & probem in quo ſanè mihi uideris probos, & humanitate præditos medicos æmulari ſtuduiſſe, qui ſi quod inuenerint eximium, ac præſens contra peſtilẽtiam remedium, non illud in priuatum quæſtum ſuum ſupprimunt, cælantque, ſed ſtatim in uulgus ad communem hominum utilitatem gratis proferunt. Nam ego ipſum quidem iactantiæ morbum non diſsimilem peſtilentiæ iudico, tùm quòd paſsim ab omnibus, tanquam peſtis quædam id genus hominum uitari ſolet, tum quòd certas nationes, quas honoris cauſa prætereo, infecerit uniuerſas, ita ut diceres ſingulos eiuſdem prouinciæ homines in eodem ludo fuiſſe edoctos. Quare cenſeo tibi non exiguam habẽdam eſſe ab omnibus gratiam, qui tuo labore tam peſtilenti morbo tã præſentem feciſti medicinam. neque enim minus tu quidem de hominibus noſtris, quibus tam ſalubre remedium utẽdum propoſuiſti, quàm Plutarchus de ſuis, ad quos ſcripſerat, benemeritus eſſe uideris. Vale. Romæ.

Galeatio Florimontio Epiſcopo Aquinati.

LIteræ tuæ, & humanitatis amorisque plenæ, & grauiſsimis uerbis atque ſententijs ornatæ, cum nullo unquam tempore potuiſſent mihi non gratiſsimæ accidere, tũ eo nunc quidem gratiores acciderunt, quò minus eas expectabam: cum enim ſcirem, multis te maximisque negocijs aſsidue diſtineri, ut Epiſtolæ meæ reſpondere, nec ſperabam amplius, nec audebam poſtulare. licet uero ſatis magnum uiderer mihi laboris mei fructum percepiſſe, qui intellexeram iam ante ex literis Hieronymi fratris, Epiſtolam meã, & libellum à me latine uerſum, fuiſſe abs te magnopere

pere probatum, tamen habere à te ipso eiusdem rei tàm clarum, tamque illustre testimonium, profecto ita gaudeo, ut uidear ipse etiã mihi posse Ciceronis illud ad Catonem, uel Hectoris potius illius Neuiani meo iure usurpare, lætus sum laudari me abs te, pater, laudato uiro, & uere iam possum non modò patrem te appellare, uerum etiam optimum ac prudentissimum patrem, ut enim solent probi parentes liberos tum læto animo laudare, si quid egerint laude dignum, tũ libere reprehẽdere, ac pie corrigere, si quid offenderint, sic tu me, & commode laudando ad uirtutem incitasti, & sapienter admonendo, ac summa cum charitate corrigendo docuisti, debere eum, qui cupiat operibus edendis ingenij atq; doctrinæ famam colligere, eò potissimum incumbere, ut illa à multis antea legantur, quàm in lucem exeant; quo quidẽ nomine amo te mirum in modum, & simplex, apertum ne singulare ingenium tuum hac in re facile perspectum maxime admirer: sed tamen nolo prætermittere, quin me tibi ea de re breuiter ac simpliciter purgem, idque non ꝙ monita tua sapientissima, simul, & fidelissima ullo modo respuam, quæ quidem, ut par est, toto pectore complector, & pura mente suscipio, sed ne uidear agnoscere crimen, & cõfiteri. Quòd igitur grauiter tulerim, fuisse tibi à fratre libelli illius à me latine redditi, potestatem legendi factam, nolim, putes, aliam fuisse huiusce rei causam, q̃ quod eum non cogitaram edere, nec edẽdum putabam, fuisse autem eo studio, quo scribis, ab ipso fratre anteà lectum planè ignorabam, nam & hoc si sciuissem rẽ tulissem animo æquiore, & illud si cogitassem, gratias fratri eo nomine egissem, tãtum abfuisset, ut expostulassem, atq; adeò opus ego ipse meum Apellis exẽplo spectandũ uulgo proposuissem, aut certe uiris aliquibus, & honoris mei cupidis, & doctrina, iudicioque excellentibus, qualem te esse planè uideo, priuatim ostendissem, nam & ab arrogãtiæ crimine longè semper abesse studui, & Quintilios, Aquinios adeundos nunquam non existimaui his, qui cupiunt, eorum scripta ita exire, ut posint cuiusuis iudicium tuto subire, si quidem ij, qui blandos quosdam uiros, & assentatores ad sua scripta ducunt, nihilo mihi quidem minore, atque adeò maiore uidentur reprehensione digni, quàm illi sint, qui proprio iudicio & sensu freti, nullius antea peritioris uiri sententia requisita, quicquid fuerint elucubrati continuò edunt. Quare cum futurum

esset,

esset, ut libellus ille meus in hominũ manus ueniret, ꝙ cũ Hieronymus frater non mõ diligenter inspexerit, uerum ẽt tibi legendũ antea tradiderit, debeo ei magnam gratiam, facitque hæc res, ut facilius patiar, eum nescio quomodo, me certe nec opinãte, exijsse. quem cum tu his literis affirmes, non modo abs te probatum esse, uerum etiam à non nullis amicis tuis & authoritate grauissimis, & doctrinæ, ac iudicij laude præstantissimis ualde laudatum, uideo nihil esse amplius, quòd uerear, quin ab omnibus comprobetur. quod tamen si secus accidat, uestro ego iudicio, & authoritate libenter acquiescam. Nam quòd scribis fore, ut hic meus labor utilitatem hominibus non mediocrem afferat, pergratum mihi quidem fuerit, si, quod meæ tantum utilitatis causa fueram aggressus, id in commune multorum commodum redundauerit, & hæc quidem hactenus. Verum facere non possum, quin tibi gratias agam, quòd me non solum libenter, sed cum egregia etiam alacritate animi in amicitiam, & clientelam tuam receperis, & simul pollicear daturum me operam, quantũ in me fuerit, ne amore & beneuolentia tua uidear plane indignus, utq; semper intelligas, coli te à me ita, ut debes, & obseruari. Et quidem ego, qui alioqui haud ita ægre patior, me cum Card. patrono meo Romam profectum non esse hanc unam ob causam maxime doleo, quòd non poteritis, uti cupiebam, tu & alij præstantes isti, atque amplissimi uiri, quibus sum propter eximiam eorum uirtutem & præclaram erga me uoluntatis significationem mirifice deditus, ex fronte (ut aiunt) meum in uos amorem & obseruantiam perspicere. quod quia non contingit, putaui faciendum, ut idem per literas, quantum fieri potest, consequerer, ac salutarem te quidem in primis, deinde eos etiam, apud quos tua me bonitas & humanitas in gratia posuit. Vale. Perusia.

Ioanni Morono Cardinali.

ADMIROR equidem te iam pridem, & plurimi facio, Cardinalis amplissime, fama ipsa allectus tum grauitatis & authoritatis, tum doctrinæ ac probitatis tuæ, quæ quidem adeò iam celebris est & constans ubiq; ut neminem ferme esse putem, bonum præsertim uirum ac bene sanum, qui te summo amore,

amore,ſtudioque non proſequatur. nimirum parua admodum eſſet uirtutis uis,nec ita fortaſſe digna, quæ tanto labore tantisque periculis ab optimo quoque appeteretur, ſi,qui eam adepti ſunt, à notis duntaxat aut præſentibus diligerentur & pluris fierent.uerum non eſt ita,non tàm anguſtis illa finibus concluditur,ſed longius multo excurrit,& emanat; cogitque omnes ignotos quoque & abſentes, atque inimicos, prope dicam ipſos ad eum diligendum,cuius ipſa in animo inſederit, cum præſertim illuſtri is loco natus,& in alto aliquo dignitatis gradu collocatus eſt,quò magis illa poſsit eſſe perſpicua & cæteris fructuoſa. quorum cum appareat in te utrunque maximum, & ampliſsimum, ſplendor tamen atque lumen uirtutum tuarum longè antecellit.Sed non eſt id mihi hoc tempore propoſitum,ut laudes tuas enumerem. quam obrem eò reuertar,unde initium ſcribēdi feceram. Obſeruabam ego te antea non mediocriter propter uirtutem ac ſapientiam tuam à multis, ijsque grauiſsimis ac probatis uiris celebratam; poſtea uero quàm Hieronymus mihi frater meus in literis, quas ad me ſæpe ſcribit,ſemel iam atque iterum ſignificauit,te ab ipſo in primis coli, contraque ipſum non parua habere abs te, pro tua eximia humanitate ac probitate optimæ, tuæ erga ſe uoluntatis ſigna, tum uero totus etiam ipſe ad te colendum exarſi, tantaq; ad primam illam animi mei inductionem acceſsio facta eſt,ut teneri non potuerim, quin meam hanc uoluntatem & ſingularem in te obſeruantiam epiſtola aliqua tibi ipſi patefacerem: etenim uidebam fore hoc pacto, ut & fratri gratum facerem, & uoluptatem ego in te colēdo caperem poſthac multò uberiorem. Velim igitur illud tibi prorſus perſuadeas, te nihilo iam minus à me diligi, coli,atq; obſeruari,quàm ab ipſo Hieronymo,id eſt uehementiſſime & ſtudioſiſsime.id quod ita eſſe, ſpero fore ut facile credas, ſi illud præterea noueris,non minorem inter nos fratres, Dei beneficio,animorum coniunctionem,& conueniētiam ſemper fuiſſe,quàm ſit hæc ipſa ſanguinis & generis neceſsitudo. quo factum eſt,ut,quod unus noſtrum, natu præſertim maior, uoluerit, atq; decreuerit,id cæteri probauerint ſemper, & ratum habuerint, & quemcunq; amandum hic ſibi colendumuè ſemel propoſuerit, is ab omnibus perpetuò fuerit amatus, & cultus,quò magis uidetur eſſe benignitatis & magnitudinis animi tui, quo amore ac ſtudio

Hiero-

Hieronymum amplexus iam esse uideris, eodem tum me, tum reliquos fratres nostros amplecti. quod ut facere ne graueris, omni abs te animi contentione peto, illud tibi uicissim spondens, in meq; recipiens, nos tibi perpetuò addictos & obstrictos fore, nec ullum unquam erga te, quod ab amantissimis, diligentissimis, ac fidelissimis seruis expectare dominus quisquam possit, officium prætermissuros. Vale. Patauio.

Marcello Ceruino Card. Sanctæ Crucis.

QVOD posteaquàm Eugubio discessi, te nunquam per literas salutauerim, id nolim arbitreris ullam aliam ob causam accidisse, quàm quòd cum scriptum esset ad me, per idem ferè tempus, quo ego Patauium attigeram, te Romam redijsse, non sum ausus, meis tibi literis obstrepere in publicis iam & maximis negotijs, quibus te & interesse, & præesse sciebam, occupato, cum præsertim iudicarem, non esse hoc à me dum in urbe esses necessario faciendum, quando ego obseruantiam & beneuolentiam, quam tibi debeo, essem etiam tacendo perenni quadam memoria, ac mente culturus atq; conseruaturus, & tu, dum tres mei germani fratres, qui Romæ degunt, tui æque, atq; ipse sum, amantissimi, & obseruantissimi, munus erga te suum obirent, existimare facile posses, meas quoq; eos partes agere, & quicquid tibi ab ipsis officij præstaretur, idem simul etiam à me præstari. his igitur de causis Card. optime atq; amplissime, minus necesse putaui usq; ad hanc diem me ad te scribere. nunc uero uisum est mihi fore non alienum officio meo, si quid ad te literarum darem, cum cognouissem, te iam ex urbe profectum Eugubium petere. quod quidem facis tu prudenter; ut omnia: qui, postquam bonam anni partem in rep. Christiana uniuersa subleuanda, & prudentissimis consilijs tuis adiuuanda posuisti, eiq; satis studij, & operæ nauasti, ecclesiam tuam quotannis certo tempore reuisas, ut eius quoque utilitati ac saluti priuatim consulas, & gregẽ tibi commissum præsentia tua recrees, & singulari illa, qua præstas, integritate, sapientiaq; regas, ac modereris; atq; ita in lenioribus negotijs occupatus, quasi ociosus, ualetudini etiam consulas, ac paulũ requiescens uires colligas, & recipias, quibus paucos post menses ualentiori-

bus, ac firmioribus ad onera illa publica ſubeunda, & munera gerenda utaris. Ego uero quamdiù extra urbem in iſtis locis fueris, non dubitabo ad te aliquando ſcribere, ut, quoniam mihi non cõtingit, ut poſsim te corã ſalutare, & te præſente frui, id quod æſtate ſuperiore non rarò contingit, & quidem cum magna non ſolum uoluptate, ſed etiam utilitate mea, quam capiebam ex ſermonibus illis tuis tum grauitate, & prudentia, tum ſanctitate & doctrina plenis, hanc iacturam, quantum fieri poterit, epiſtolis ſarciam. Reliquum eſt, ut reuocem tibi in memoriam, eſſe nos in ęre tuo totos, & poſſe te rebus noſtris omnibus, quantulæcumque ſunt, ſine ulla exceptione uti. nam de ſtudijs meis id unum in præſentia ſummatim dictum uolo, uerſari mihi ſemper ante oculos, & hærere animo infixa ſapientiſsima monita & præcepta tua, ac, ſiquid unquam conſequutus fuerim, id omne fore pręcipue tuum. Vale, & me ama. Patauij.

Herculi Gonzagæ Card. Mant.

MANDASTI mihi ſuperioribus diebus, ampliſsime domine, ut conarer Ptolomæi libros de geographia latine tibi ita reddere, ut quanto fieri poſſet faciliores eſſent & planiores, cum diceres, te in his, quos latine nunc legeres, multa deſiderare. Ego igitur pro mea incredibili cupiditate tibi morem gerendi, & inſeruiendi, quantuncumq; temporis mihi à cæteris ſtudijs daretur, in eo conſumpſi, & cum iam primum librum confeciſſem, non alienum putaui, eum tibi legendum tradere, ut antequàm ad alios conuertẽdos aggrederer, ſcire poſſem, an ipſe probares hanc meam uertendi rationem; in qua quidem id potiſsimum ſequutus ſum, ut quòad liceret per terminos (quo modo loquuntur) artis, quos omnino conſeruandos putaui, & per ipſius ſcriptoris breuitatem, atq; obſcuritatem (hæc enim puto non oratoris, ſed quaſi interpretis more conuertenda eſſe) puriſsima omnia, facillimaq; redderẽtur. nam quod ad ſententias pertinet, quicquid occurrit dubij, Ludouicum Ferrariũ, Mathematicum tuum, uirum (tute ſcis) harum diſciplinarum peritiſsimũ conſului, & ipſius opinionem prorſus tenui. itaq; confido fore, ut non improbetur omnino noſter is labor meis quidem uiribus ſatis grauis ſed leuis

leuis(ut ſpero)ſuauisq; fiet,ſi ſenſero illum tibi non ingratum accidiſſe. Vale. Mantuæ.

Scipioni Gonzagæ Marchioni.

HOMO cæterorum animantium præſtantiſsimus, non ad ocium,uel ad iocum natus eſt,ac procreatus,ſed ad contemplandum,& ad agendum,& quidem ea,quæ digna ſint tam excellenti natura,quæ ipſi à Deo Opt. Max. tributa eſt; mihi enim profectò non tam ocioſi uidentur hi, qui nihil uel contemplantur,uel agunt,quàm qui ea,quæ minus ſunt homine digna.id nimirum intelligentes ſtoici, tempus ſic definiebant, ut dicerent, χρόνον εἶναι κατορθώσεως, quòd ſcilicet omne tempus, in quo recte aliquid non efficiatur, pereat, & pro nihilo ſit habendum. idem omnes omnium ætatum, atq; gentium ſapientes iudicauerunt, & multis rationibus,inſtitutis,factiſq; comprobauerunt. Itaq; Romæ M.Cato etiam in ipſa Curia,dum Senatores conuenirent,græcos libros lectitare ſolebat,& Lacedæmone Ephori, ſi quem ceſſantem reperiſſent,eum clamoribus,conuicijs,atq; adeò uerberibus male accipiebant;uere enim opinabantur, nihil ciuitati perniciosius eſſe inertia ac deſidia.quamobrem,ſi fieri poſſet, nũquàm omnino ceſſandum,aſsiduè nobis uigilandum eſſet, & ad grauiora ſtudia incumbendum, præſertim cum uitæ noſtræ ſpacium breuiſsimum ſit. Sed quoniam hoc imbecillitas humani generis minime patitur,dantur multæ laborum intermiſsiones,animiq; relaxationes.hinc ſomni, conuiuia,ioci,ludi, ſpectacula, & huiuſmodi alia:iudicatum eſt enim uitam noſtram his duabus rebus,tempore ſuſceptis, maxime contineri, labore ſcilicet,& quiete,illo quidem tanquam proprio quotidianoq; cibo, hac uero uelut medicina,uel condimento.ita ut neq; grauiſsimi uiri dubitauerint,ubi ſerijs rebus ſatis conſuluiſſent, iocoſis etiam temporis non nihil tribuere.Nã & de Scipione,Lælioq; audiuit olim P. Craſſus.Q. Sæuolam cum diceret; eos animi cauſa conchas, atque calculos ad Caietam Lucrinamq; lacum legere conſueſſe, & de Socrate memoriæ proditum eſt,non erubuiſſe tantum uirum cum paruulis filijs,quaſi repueraſcentem ludere, arundine, quo modo ſit intereos,æquitãtem.Id ergo cum priſcis illis temporibus ſeueriſſimis

non reprehenderetur, ne in ætate quidem prouectis, dummodo tempestiue, ac modice fieret, multo certe magis idem nunc concedendum erit adolescentioribus, permittendusq; aliquis iocus, & ludus huic ætati, ne nimiũ compressa aut ad maturitatem perti nere non posit aut alieniore tempore uehemẽtius se efferat. Hæc multaque alia tum assidua librorum lectione, tum longo rerum usu edoctus Hercules, Cardinalis amplissimus, cum te, quæ ipsius est humanitas, & in bonis ingenijs adiuuandis liberalitas, domi suæ instituendum susceperit, omnem curam adhibet, ut non solum probis moribus, & interioribus literis erudiaris, sed etiã musica, hisq; musicæ generibus exorneris, quæ ingenuum hominem decent, & maioris momenti disciplinis nihil prorsus officiũt, ut habeas etiam facultatem ocij honeste traducendi, & animi à negotijs, curisq; difficilioribus recreandi: nam ceteras quidem oblectationes, & uoluptates minus honestas, nouit ille præclare, reijciendas funditus esse, & quasi infestissimos scopulos uitandas: hæ nempe sunt circea illa pocula, hæ homines in belluas conuertunt, uirtutumque omnium insignia extinguunt & plane obruunt. Vera ac solida uoluptas ex sola uirtute percipitur, non aliunde pendet, hominisq; ea est propria, quippe quæ propriam & perfectam ipsius actionem consequitur, aliæ seruiles prorsus atq; adeo ferinæ putandæ sunt. Verum quia uoluptatum desiderium pariter cum corpore exoriri uidetur, estque nobis penitus insitum, recta autem ratio, & uirtutes, ex quibus, ut diximus, incorrupta uoluptas gignitur, non possunt sine longo tempore, multoq; labore acquiri, hinc fit, ut pleriq; decepti spec e boni, à recta uia deflectant, & falsas uoluptates sectentur. atqui deberent adolescentes, opinor, sicut in doctrinis addiscendis, multis præceptorum postulatis, uel præter animi sui sensum assentiuntur, ita in conformanda uitæ ratione rectis, ac fidelibus consiliariorum monitis fidem habere, & quamuis ipsorum appetitus aliter ferret, eas tamen ueras uoluptates ducere, quæ tales existimantur à uiris probis, ac uir tute præditis: Quemadmodum enim his, qui aduersa ualetudine utuntur, res natura dulces, amaræ sæpius uidentur, sic qui mente sunt minime sana ac perturbata, nequeunt de his, quæ ad animum pertineant, recte iudicare. itaq; standum est proborum uirorum iudicio, quo ad nos ipsi ueræ uoluptatis sensum percipere possimus:

nius: interim uero frenanda cupiditas, reprimendæ libidines, perferendi labores, ad uirtutem toto pectore contendendum. Quamobrem ego, ut libere loquar, soleo dissentire à non nullis, qui uidentur nescio quomodo uereri, ne ista uitæ, ac disciplinæ ratio, qua tu iampridem eodem Cardinale authore uteris, durior sit, & constrictior. Non est ita, crede mihi, uel potius ipsi, nouit uir sapientissimus, tuique amantissimus uias adolescentiæ lubricas esse, multasque ei illecebras & escas malorum paratas uidet, nec ignorat, cum mediocritas, in qua posita est ipsa uirtus, facilius optari, quàm comparari possit, satius esse ad alteram partem primum declinare, quæ in minorem cadat uituperationem, & ad quam simus natura minus procliues, ac propēsi. ut inde sensim nos retrahentes, ad ipsum medium accedamus. quis autem nescit omnes homines ad uoluptates tam cupide ferri, ut qui eas nimis aspernetur, atque reijciat, nemo fere inueniatur: ut ne nomen quidem omnino huic uitio impositum sit. Ille igitur prudentissime, amantissimeque facit, præsertim cum pro ratione temporum facultatem tibi non deneget animi tui his solatijs recreandi, quibus corroborentur, non extinguantur uirtutum quasi igniculi, qui quidem in te perspicue lucent, quemadmodum nunc fecit, cum te ab urbe, tanquam è carcere, rus emisit, ubi unà cum præstantissima omnium fœmina Aemilia matre tua, & fratribus suauissimis, corporis, animique uires ex his caloribus colligas, atque reficias, ut eò firmior postea, & alacrior ad literarum studia te referas. Interea autem ego quidem non putaui absurdum, aliquid ad te scribere, ut, quemadmodum Lælius ille cum Scipione suo solitus erat rusticari, ita ipse cum eo cæteris rebus minime omnium comparandus, amore certe, ac studio tui non longè fortasse inferior, etiam iuri tecum, mi ornatissime Scipio, quodāmodo esse, quanquàm sentio me, beneuolentia prouectum, plura, & maiora attulisse, quā huius Epistolæ propositum postularet; quæ si forte grauiora fuerint, quàm istius ætatis imbecillitas ferre posse uideatur, acumine certe ingenij tui, & magno bonarum disciplinarum desiderio subleuabuntur, & quidem non erit inutile his iam uocibus aures tuas assuescere. Nam cum mirificam tui expectationem concitaueris, oportet te nihil leue, aut uulgare meditari, præsertim cum natura tibi ingenium præstans dederit, discipli-

nam

nam egregiam nactus sis,& patronum amplissimum,atq; optimũ, cuius præcipuè uoluntas , & spes quam de te concepisse uidetur, debet semper tibi in oculis atque in animo uersari:etenim licet in telligere , cum maximam spei suæ partem in uobis duobus alumnis suis collocasse,in te , inquam , & in Francisco Ferdinandi fratris sui filio,qui nunc in Patauino Gymnasio magna cum laude, & præclara ingenij existimatione bonis artibus,ac disciplinis studet.atq; id quidem ille non iniuria ; prospicit enim fore , ut nomen suum per uos posteris quoque commendetur,ipseque in uobis,tanquam in præclaris suis operibus,etiam post mortem uiuat quodammodo,& conquiescat.quæ ne eum opinio, & spes fallat, debetis uos(quod diligenter facitis)omni cura,industria,studio, labore eniti,atque contendere.Da operam ualetudini,meque dilige. Mantua. VII. Idibus. Quintiles M. D LVII.



IVLII GABRIELII EVGVBINI ORATIONVM, ET EPISTOLARVM,

Liber Secundus.

ORATIO AD CONSVLES EVGVBINOS Magiſtratum ineuntes.



ON dubito, Conſules lectiſsimi, quin multi admirentur, meque tacite arrogantiæ cōdemnent, ꝙ cum uiri ſint in hac ciuitate non pauci, tum ingenio, & doctrina, tum rerum uſu, ac dicendi exercitatione præſtantes, ego potiſsimū auſus fuerim huc aſcendere, & in conſpectu, conſeſſuque ueſtro uerba facere, qui quidem, & cum mediocri ingenio in literarum ſtudijs ſum non ita diu uerſatus, & uſu, ac dicendi facultate nihil ſanè poſſum. Quare puto eſſe mihi omnino faciendum, ut antequàm aggrediar ad ea, quæ hodie dicere conſtitui, huius mei conſilij, & facti cauſam afferam. Mos eſt huius Ciuitatis (quemadmodum ſcitis) antiquisſimus, ut quoties noui Conſules, qui duobus quibusque menſibus apud nos creari ſolent, magiſtratum ineunt, latina aliqua oratio habeatur, qua de officio ſuo, & onere, quod ſubeunt, diligenter admoneantur; qui quidem mos cum honeſtiſsimus ſit, & Reip. (uti perſpicuum eſt) maxime utilis, neminem eſſe arbitror, quin eum omni ratione conſeruandum retinendumque exiſtimet. Ego itaque ueritus, ne propter recentem ludi magiſtri interitum, cuius eſſe hoc munus ſolet, tam probata conſuetudo, tamque utile, & ſalutare à maioribus nobis traditum inſtitutum nunc intermitti cœptum, mox (ut fit) planè omitteretur, quæſiui de multis, num quis has ſibi partes hoc die orandi ſumpſiſſet. quod cum negarent omnes, & affirmarent, fore ut is magiſtratus uetere, atque uſitato orationis honore careret, quanquam optime intelligebam, longè maius eſſe id onus, quàm

quod

quod uires meæ ferre possent, tamen utilitatis publicæ causa facile adductus sum, ut hanc prouinciam susciperem, idque non ingenio, aut facultate confisus mea, sed uestra fretus æquitate; qui, quamuis nihil ego dignum uestris auribus allaturus sim, tamen consilium meum & uoluntatem probantes, haud poteritis pro summa uestra humanitate æquo me animo non audire. Habetis iustam, opinor, huius mei propositi ac facti causam. ad ea nunc descendo, quæ mihi dicenda proposui. Nec uero libet de uestro, Cõsules, officio ea nunc afferre, quæ ex hoc ipso loco sæpius audiuistis; nempe ut intelligatis, ciuitatem uniuersam non modo uestræ esse potestati permissam, sed fidei etiam commissam: ut dum imperatis, memoria semper teneatis, fore, ut breui pareatis; ut utilia, & recta præscribatis; ut prudentiam præcipue excolatis; Rempub. unice ametis, ad eius dignitatem, & commodum omnia referatis, hæc inquam, & cætera huiusmodi de magistratus officio à doctissimis uiris tradita, & hic sæpius relata, quæ quidem uos meminisse arbitror, nunc mihi prætermittenda censeo, nec, quod ad summã muneris uestri attinet, aliud quicquam uos admonere uolo, quàm ut dum publicam personam geritis, rerum priuatarum curã prorsus dimittatis, nec ulli proprio quæstui animum adijciatis; tunc.n. potissimum seditiones, tunc discordiæ in ciuitate oriuntur, cum ii, qui Reip. gubernandæ præsunt, priuatis rebus separatim consulunt, nec ulla ferme alia esse solet rerum publicarum euertendarũ causa, cuius quidem rei exempla ueterum historias legentibus passim occurrunt, & nonnulla etiam possunt ex nostra hac ciuitate proferri. quod equidem facerẽ hoc tempore, nisi uererer, ne quorundam animos offenderem, tametsi potestis eorundem uos, uel me tacente, in memoriam facile redire, uigent enim semper in animo uniuscuiusque, nonnunquam etiam in ore non sine maxima illorum hominum infamia, quod ne uobis accidat, Consules cæteris omnibus posthabitis, Reip. gerendæ toto pectore incumbite, in ea tuenda, & amplificanda omnem uestram operam collocate, integrè omnia, & castè administrate. De ea iam re dicam, qua uos de re præcipue commonefaciendos hoc tempore iudicaui, cuiusque reip. maxime interest, ut curam acrem, & uehementem suscipiatis. quapropter attendite, quæso, animos, & mihi ignoscite, si paulò longior hæc erit oratio, quàm ex hoc loco hoc die haberi

beri ſoleat; poſtulant enim & meæ & ueſtræ & reliquorum ciuiũ omnium rationes, ut hac de re ſermo non ita breuis habeatur. Duo iam ſunt menſes, cum liberi ueſtri, alloquor nunc, qui adſunt, quique abſunt, omnes, duo, inquam, ſunt menſes, cum liberi ueſtri, publico literarum præceptore mortuo, tempus fruſtra conterunt, uagantur per urbem, nec aliquid agunt boni. id quantum interſit, qui non intelligunt, nec cogitant, ij nimirum mea ſententia parum longè proſpiciunt, neq; ſuam modo, & ſuorum, ſed publicam etiam curam & ſalutem negligunt; unius enim cuiuſque domus pars ciuitatis eſt, domus filijs maxime continetur, & ex filijs poſtea ij ſumuntur, quibus res ipſa publica committitur. quare nihil æque reip. intereſt, ac pueros bene educari, rectéque inſtitui. id quod præclare intelligentes Lacedęmonij, quo tempore eorum florebat reſp. omne huic rei ſtudium, & diligentiam adhibebant. qui uero id quidem cogitant & optime cognoſcunt, ſed grauiore aliquo (ut ipſi opinantur) negocio impediti, nihil huic aut ſtudij, aut operæ impertiunt. hi profecto multò etiam magis errant, maioreq; uidentur reprehenſione digni: ſuam enim & reip. non ſolum utilitatem, ſed etiam ſalutem ſciẽtes produnt, ut liceat mihi unà cum Crate illo antiquiſſimo & ſapientiſſimo exclamare, ò ciues, quò tandem rapit uos inſania, qui dum omnem curam & ſtudium in pecunia comparanda ponitis, de filijs, quibus eam relicturi eſtis, minime laboratis? maximum mihi credite, ciues chariſſimi, liberis theſaurũ parat, qui uirtutibus eos & ſcientijs ornandos curat. nunc uero poſtrema omnium & leuiſſima hæc eſt apud nos cura, nam, ut nihil reticeam, audiui quoſdam, cum dicerent, eos, quibus id muneris mandatum eſt, ut uirum aliquem probum & doctum eligant, & ad pueros inſtituendos publica mercede accerſant, dedita opera rem differre, ut interim ex pecunia, quæ ei dependenda eſſet, arcus quidam aquæ ductus fulciatur. ò rem miſeram, ò delirationem incredibilem. quenquam ne ita eſſe dementem, ut quicquam pluris faciat, ut melius uſquam putet, quàm in iuuentute inſtituenda ſumptus poſſe poni? fulciantur omnes aquæductus arcus, ne dum unus, reſtituantur, reficiantur toti. eſt hoc etiam è rep. eſt commodum, eſt magnificum, ſed pecunia aliunde accipiatur, non poteſt differri ludi magiſtri eligendi deliberatio. dum enim teneri ſunt & tractabiles pue-

rorum animi, tum eos oportet magiſtris formandos, atque inſti-
tuendos tradere, ut, ſi bonum ſit eorum ingenium, non corrumpa
tur negligentia; ſin malum, ut ſtudio corrigatur: omnia enim impe
dimenta naturæ, diligentia, & recta adhibita diſciplina, tolluntur,
aut certe corriguntur; ornamēta uero ſocordia, & negligentia aut
delentur, aut ſaltem deprauantur. Quare expergiſcimini, quæſo,
& tandem uirum aliquem ad liberos ueſtros moderandos, atque
erudiendos conducite, qui ſit non ſolum doctrina ad hoc munus
exequendum idoneus, uerum etiam honeſtiſsimis moribus orna-
tus. Vos uero, Conſules, ut id quàmprimum fiat, diligentiſsime
prouidete, cauete autem, ueſtram fidem obteſtor, etiam, atq; etiā
cauete, ne, dum hac in re ſumptui nimium parcitis, uirum minus
idoneum conducatis, aliò parſimonia iſta reſeruetur, ſitis, obſe-
cro, hic largi & liberales, ne id audiatis, quod de Ariſtippo pater
ille olim auarus audiuit, cui dicenti minore ſe pretio poſſe ſeruum
emere, quàm quod ipſe pro eius filio erudiendo poſtularet, duos
uero reſpondit tum Ariſtippus, habebis ſeruos, & filium, & quem
emeris. Serui ſunt nimirum homines nulla uirtute, nulla ſcientia
prædititi; aſſequi autem uirtutes, & ſcientias ſine optimo magiſtro
nemo poteſt. In hanc igitur cauſam, optimi Conſules, tota nunc
mente incumbite, &, ut quatuor uiri, quibus hoc muneris datum
eſt, officium ſuum ſedulò præſtent, omni cura & diligentia proui-
dete: nec enim fieri à uobis quicquam poteſt hoc tempore aut pr
clarius ad gloriam, aut reipublicæ utilius.

Proluſio ad auditorum animos excitandos, atque inſtruendos.

NEMINEM ueſtrum admirari uelim, Iuuenes clariſsimi, ſi me uiderit, uerecunde admodum & timide hanc prouinciam ſuſcipere: ſentio enim longe grauiorem eſſe, quàm meæ uires ingeniumùe ferre poſsint, neque tamen cùm illa mihi ab his tradita atque mandata ſit, quorum uel nutui parere debeo, & maxime cupio, quenquam fore exiſtimo, qui me propterea ar-rogantiæ condemnet, præſertim cum ego non tam ducem & ma-giſtrum hìc me fore profitear, quàm ſocium, & comitem; nec meo fretus ingenio, aut doctrina, quæ nulla eſt ferè, tantum oneris ſu-ſceperim,

sceperim, sed uestra potius humanitate, ac facilitate nixus, quam quidem scio esse eximiam. Vos igitur, optimi adolescentes, adestote mihi, ac, si minus expectationi, uel desiderio uestro his initijs respondero, nolite admirari, aut ægre ferre: constat enim nullum esse munus adeò facile, quod ut recte efficiatur, usum, & exercitationem non requirat, sed sperate fore, ut progrediente ætate, & iuuante Deo opt. max. possim uobis maiores fructus præbere: ego enim, quantum in me erit, operæ, & labori minime parcam. Quamuis autem propositum sit nobis, in hoc munere exequendo non gloriæ, aut ostentationi inseruire, sed studijs & utilitati uestræ consulere, tamen non erit fortasse absurdum in hac prima ingressione aliquid altius repetitū afferre, quod nos ad id, quod instituimus, excitare, atque iuuare possit: etenim uidemus omnibus in studijs uel minimis aliquid initio fieri, quod aditum ad ipsum institutum aperiat, ac muniat. Athletæ cum aduersarijs congressuri, manus prius expediunt, brachia dilatant, cæterasque corporis partes commouent. Tibicines antequàm certum, constitutumq; cantum aggrediantur, προαύλιον canunt. nos quoque igitur horum exemplo, opus longè grauius, ac præstantius incœpturi, aliquid proludamus, quod nō solū dignitatem, uerum etiā utilitatem afferat. Deus & natura unicuique rei non solum id, ut sit, largita est, uerum etiam propriam singulis facultatem tribuit, qua suo fungerentur munere; nihil enim frustra fecerunt: q quidē facultas (ut cōuenit) eò pstātior existit, quò est nobilior ipsarū rerum natura. Cum igitur homo sapientiorum iudicio omnibus, quæ infimo lunæ orbe continentur, longè nobilitate, & dignitate præstet, præstantissimam quoque omnium facultatem habeat necesse est. hæc autem minime esse potest ea, qua nutritur, & augetur; istius enim plantæ quoque participes sunt, neque etiam illa, qua sentit, & appetit, cum eam habeat cum cæteris animantibus communem. restat igitur, ut ea sit præcipua ipsius facultas, qua ratiocinatur, & intelligit, quæ à Græcis διάνοια καὶ νοῦς à nostris ratio, ac mens dicitur. Itaque qui uere homo, & dici, & esse desiderat, hanc excolere, hanc exornare, hac uti debet; id uero effici haudquaquam potest sine doctrina, & scientia: quemadmodum enim corpus cibo alitur, & conseruatur, ita mens nostra scientia colitur, atque perficitur. & sicuti manus corporis, ita scientia mentis instrumentum

est, quo fit ut omnes eam natura desiderent, uerum non statim, neque facile hoc præstantissimum bonum acquiritur, sed longo tempore, multis laboribus, & uigilijs opus est, ut præclare nobiscum agatur, si uel in ipsa senectute illud nobis accedat. Quare nõ est, præstantissimi adolescẽtes, breue uitæ nostræ tempus in ocio ac desidia cõterendum, sed totum in optimis studijs, probisque artibus collocandum, ut mentis nostræ acies ab hac caligine, & tenebris ad propriam claritatem, lucemque reuocetur, atque id cũ omnibus faciendũ est, tũm uel maxime principibus iuris, qui quidem tantum ferè uidentur reliquis hominibus præstare debere, quantum ipsi homines bestijs antecellunt. hoc nimirum spectans, ac præclare intelligens amplissimus Cardinalis noster, quem honoris causa nomino, & ipse in tota uita literarum studijs bonisq; disciplinis assiduè operam dedit, & studiose curauit, ut hi, qui suę curationis essent, optime erudirentur, primum quidem sui ipsius imitatione; hac enim nulla reperiri poterat præstantior disciplina; deinde uero doctissimorum uirorum opera, nulli neque labori, neque sumptui parcens. quæ cũ ita sint, non debetis uobismetipsi deesse, sed omnem cogitationem ad uirtutes conuertere, summaque cura, & diligentia ijs scriptoribus studere, unde possitis doctrinam puram, liquidamque haurire. hi autẽ sunt præcipue mea quidem sententia græci, etenim ipsi uidentur scientiarum fontes extitisse, & ut comprehendam breui, tantum alios doctrina atque ingenio superasse, ut eorum discipuli aliorum præceptores esse possent. Nos igitur (ut sensim ad rem propius accedamus) rectè statuisse uidemur, in græcos præcipuum studium esse impendendum. ex his uero Isocratem nunc delegimus, tum quòd plerisque alijs mitior est, & facilior, tum quia non solum dicendi arte pollet, sed etiam uiuendi præceptis abundat, ut liceat ab eo eodẽ tempore, & eloquẽtiam, & morum probitatem accipere. id autem si cubi facit, in hac maxime oratione præstat, quam modo suscipiendam statuimus. nam, & si pleriq; iuuenes, præsertim, solent ab huiusmodi scriptis abhorrere, & ijs potius delectari, quæ fabulam aliquam explicent aut quidpiam huiusmodi, quod aures tantum ipsorum iuuet. quod sanè (ut puto) animaduertentes antiqui illi sapientissimi uiri tum tragici, tum Epici poetæ, uitæ præcepta fabulis, multisque alijs illecebris contexerunt, ut eos caperent, at

desine-

desinerent uel inuitos, & rectam uiuendi rationem docerent: intelligebant enim eam esse hominum naturam, ut quemadmodum cibis suauibus libentius utuntur, quàm salutaribus, ita oratione delectentur, ac studijs non optimis, & utilibus, sed amænis, atque festiuis. & si igitur plerique ita sunt affecti, ego tamen statuens, non oportere uos è numero multorum esse, sed magna spectare, & ad uirtutē omni conatu contendere, non sum deterritus ab hac oratione uobis proponenda, non solum maxime utili, uerum etiam iucunda, his quidem, quorum ratio non paret appetitui, si quidem eam affert delectationem, & uoluptatem, quæ sola uoluptas dici uere potest quæq; ab utilitate nequaquā seiungitur. In ea autem interpretanda, ut rectè atque ordine incedamus, tria potissimum curę nobis erunt, primo scriptoris sensum, ac mētem aperiemus: ut sciamus, de quo sermo habeatur, nec pendeat animus aut disperse uagetur; secundo enitemur, quantum per nos fieri poterit, ut uerba latina, & pura reperiamus, quæ græcis aptè respōdeant: hoc enim pacto linguam Latinam cum Græca summa nostra cum utilitate coniungemus; tertio artem loquendi atque ornatum demonstrare conabimur, si quidem ex oratoribus hunc fructum excerpere maxime debemus, ac si quando aliquid occurret, quod ad grammaticam pertineat, minus apertum, & clarum, ne id quidem prætermittemus. is meus est animus, meaque sententia si quis uestrum secus putat agendum, consilium, obsecro, suum in medium proferat: ego enim illud libentissime audiam, & pluris aliorum opinionem, quàm meam æstimabo.

Prælectio in Logicam facultatem.

Et si probe noram, lectissimi adolescentes, quàm graue munus atque difficile aggrediantur ij, qui Aristotelem interpretandum, atque explicandum suscipiunt, his præsertim temporibus, quibus uera rectaque interpretandi ratio ita oppressa, & extincta uī, ut ab omnibus iā ferè negligat̄, & excludat̄, ego tñ nō dubitaui, prouinciā accedere, nō mea certe doctrina, aut ingenio fretus, qđ sentio perexiguū esse, sed uestra cōfisus æquitate ac bonitate, nā ut plerisque tyronū militū erratis ab æquo, proboq; Imperatore uenia dari solet, ita uos nō nihil ætati meæ, mul

ta

ta etiam usui & exercitationi, quæ penè nulla est, concedere & cōdonare debebitis. sed ut reliqua omnia in me desideretis, quę eum habere oportet, qui hanc personam sustineat, officium certe, industriam, & diligentiam nusquam desiderabitis, labori minime parcam, operam meam nemini denegabo, omnibus denique in rebus eum me geram, ut non tam uoluntatem uobis gratificandi ac iuuandi, quam facultatem defuisse mihi, facile intelligatis. Illud autem uobis polliceor & confirmo (quod quidem si non omnibus, at certe plerisque uestrum, ijsque doctioribus, politiorique eruditione præditis probatum iri spero) Aristotelem me ex ipso Aristotele, quoad eius fieri poterit, interpretaturum, & breuitatis, quam præcipuam laudem in interprete esse puto, maximam rationem ducturum, ita tamen, ut obscuritatem summopere fugiam. Sed ne quis forte suspicetur, eum me esse, qui interpretes omnes reijciendos putem, totque tantorum uirorum lucubrationes ac uigilias interire uelim, sic habetote, non negare me, multa grauium & ingeniosorum uirorum scripta extare, quę plurimum conferant ad ea, quæ ab Aristotele obscure dicta sunt, intelligenda, quibus uidetur auctor ille diuinus, & admirabilis, quasi tenebris, naturę mysteria ab imperitorum aspectu remouere uoluisse; nec prohibere, quo minus legantur, & peruoluantur: sed eos damno & graui reprehensione dignos esse iudico, qui certis quibusdam interpretibus ita se se dedunt & addicunt, ut nulla sibi ipsis iudicandi potestate relicta, quicquid illi dixerint, quasi ex oraculo editum sit, ita uerissimum esse putent, nec fieri posse sibi persuadeant, ut ab ipsa ueritate unquam illi aberrent. cuiusmodi genus hominum quantum decipiatur, ipsi uiderint, nos certe ne in hosce errores labamur, neùe rursus uideamur omnino interpretum labores contemnere, præstantioris cuiusque sententias referemus, easq; ita approbabimus si Aristotelis menti, reique ipsi & ueritati accomodatas esse iudicabimus; sin minus, rationibus & Aristotelis authoritatibus redarguere conabimur, & quæ sit Aristotelis sententia, pro uiribus exponemus. quòd si uel in exponendo, uel in refellendis aliorum opinionibus decipi, & falli uisus fuero (quod fieri facile poterit) obsecro uos & beneficij loco à uobis peto, ut libere mecum agatis, easque rationes afferatis, quibus à falsa opinione ad rectam sententiam traducar: polliceor enim uobis non modo id me non

iniquo

iniquo animo laturum (quod facere solent isti, de quibus supra di xi contentionis magis, quàm ueritatis cupidi) sed etiam errorem meum ingenue confessurum, & gratias uobis eo nomine habiturum immortales. Nunc ne nostra hæc oratio longius progressa ui deatur, præsertim cum ab istis recentioribus Dialecticis, si quis diutius paulò latiniori oratione usus fuerit, & elegantiori (qua sunt ipsi elegantia) crimini ac uitio uerti soleat, ad ipsam iam interpretationem ueniemus, si prius de utilitate eius, quàm professuri sumus, siue artem, siue scientiam dicere malis, pauca quædā dixerimus, quò facilius adolescentulorum animi ad hæc studia excitentur atque inflammentur. hic autem usus & utilitas ita nobis, opinor, facile poterit elucere, si huiusce facultatis finē recte perspexerimus quò referri, & cuius causa fieri debent omnia, quæ in ea continentur. Logices igitur finis ac propositum illud est, auditores præstantissimi, ut regulas tradat eorum quasi instrumentorum, quibus ignota cognoscamus, & uera, ac falsa dijudicemus. ò magnum promissum, ò præstans & præclara facultas, quæ sola id profiteatur & doceat, quod unum ferè efficit, ut à cæteris animantibus maxime differamus. hanc itaque studiosi adolescentes, amplectimini, hanc tenete, hanc omnes, qui philosophiæ, qui iuris ciuilis, qui cuiusuis denique scientiæ aut artis studijs delectamini, addiscite: illa enim ad omnes disciplinas, & doctrinas tanquam fores atque aditum patefacit, & ut fabri sine perpendiculo nihil fere in sua arte rectum, uel absolutum queunt efficere, ita nos nihil recte ac perfecte percipere possumus, nisi omnia ad regulas huius artis dirigamus, & formemus. Ego uero quod ad officium, & munus meum attinet, omni cura, studio, ac diligentia elaborabo, ut hanc uobis facultatem quàm expeditissimam, & quàm explicatissimam tradam. Accedite igitur alacri, & prompto animo, nec uos uobis ipsis deesse uelitis, cum ego nemini ullo in loco, quantum feret ingenij mei imbecillitas, defuturus sim.

Oliuerio Gabrielio.

CVM iam certò cognouissem ex Syluij fratris literis constituisse te omnino Perusiam mense Septēbri studiorū causa accedere, uenit in mentē facere, quæ mea est in te charitas

& pietas,ut quę coram mihi eo tẽpore tecũ agenda eſſent,ea nunc per literas agerẽ:etenim re adhuc planè integra , magis me profecturum arbitrabar.Primũ quod maxime difficile uidetur,propter ætatis iſtius imbecillitatem,conſilijq́ue infirmitatem, id tu præclare es conſequutus,ut eam uiuendi uiam igredereris , eaq́ue ſtudia amplectereris,quæ omnium iudicio optima ſunt,& honeſtiſsima; quamuis enim multi ex rebus bellicis, & alijs etiam nonnullis artibus magna ſibi commoda,maximamq́ue gloriam comparent;hęc tamen ratio,noſtra præſertim ætate,multo eſt expeditior, ac tutior, & quidem quò animus corpore præſtantior , & excellentior eſt,eò præſtantiora iudicanda ſunt ea,quæ ingenio,ac ratione cõficiuntur,quàm quæ uiribus , aut manu.quoniam igitur optimum ætatis degendæ genus delegiſti,idq́ue feciſti naturæ , atq́ue ingenij tui in primis ratione habita opera tibi danda eſt , ut conſtantiam,& firmitatem animi teneas.uideo animum iam te ad literarum ſtudia direxiſſe,eaq́ue perſequi decreuiſſe. cui nam uero arti potiſsimum ſiue ſcientiæ operam dare conſtitueris , id non ſatis ſcio.Tres omnino eſſe uidentur,quæ noſtris temporibus maxime floreant,ius ciuile,philoſophia, ac medicina , harum igitur aliqua capeſſenda tibi, ac percipienda erit.ut autem rectius iudicare poſſis,quæ harum melior,utilior,præclariorùe ſit , conabor pro uiribus, quantumq́ue ad hoc meum inſtitutum pertinere exiſtimabo, de ijs aliqua leuiter attingere . nam perfecte quidem , ac digne de tantis rebus dicere , cum longioris conſiderationis , ac temporis eſt,quàm quod ego adhibere ſtatui, tum maius ingenium , maioremq́ue uſum poſtulare uidetur,quàm ut à me confici poſsit. Iuris ſcientiam non ſolum maxime utilem , uerum etiam in primis neceſſariam eſſe,omnes fermè confitentur; hæc enim unumquemque in ſuo officio continet,hæc inter omnes æqualitatem conſeruat , hæc denique utilitatem , uitamq́ue communem quibuſdam quaſi uinculis coniunctam , aſtrictamq́ue tenet:ad fortunas uero dignitatesq́ue acquirendas magnum in hac facultate campum dari,quis ignorat?ea ubique uiget, ubique dominatur,illius opera & auxilio maximam nobis,noſtriſq́ue omnibus auctoritatem , ampliſsimasq́ue clientelas adiungimus , nominis , ac generis nouitatem maxime ſubleuamus,nobilitatem uero , maiorumq; gloriam ualde illuſtramus,memoriamq́ue propagamus:atenim hęc ſtudia

immenſi

immensi laboris, longique temporis indigent. primum memento id, quod omnibus iam constat, nihil nos magnum sine magno labore consequi posse, & quò quidque difficilius, eò præclarius. deinde tibi persuade, iuris cognitionem multo faciliorē esse, quàm à plerisque existimetur: ego enim sæpe à uiris doctissimis, multumque in iure ciuili uersatis audiui, neminem esse, qui in his studijs non quantum uelit possit proficere, modo optimam expeditissimamque studendi rationem sequatur, nec ingenij, ac memoriæ admodum sit expers. hęc de iure ciuili breuiter dicta sint. Nunc de Philosophia aliquid afferamus, quam quidem non solum ipsam laudabilem & eximiam, sed etiam omnium laudabilium optimarumque artium procreatricem, & custodem esse, nemo est, qui neget; etenim à sapientiæ amore nomen inuenit. quid præclarius, quid excellentius, quid optabilius hominum generi dari potuit? hæc ad cognitionem Dei, quantum fieri potest, nos perducit, hæc causas rerum, naturæque obscuritatem inquirit, disserendi rationem, uiamq; tradit, mores, uitamq; hominum gubernat ac moderatur. huic qui paret tam præstat cæteris hominibus; quàm genus humanum à bestijs differt: illa enim nos edocet, quemadmodum appetitum rationi obedientem præbeamus, omnesq; cupiditates ac libidines domitas habeamus, idq; non pœnæ terrore, ut leges, sed quod multo præclarius est, ac libero homine dignius, cōsilio ipso atq; uirtute, denique Philosophiæ expers qui sit, eum miseram omnino & ærumnosam uitam agere necesse est; ut enim miserias tollas, tollendi sunt prius omnes animi morbi. hoc autem sine philosophiæ præceptis & consilijs assequi qui possis? quòd si in cæteris scientijs utilitas quodammodo maior, fructusque uberior plerisque inesse uidetur, id hominum bitio, animique accidit angustia, & ieiunitate, qui de utili perperam constituunt, externaque commoda bonis animi anteponenda censent. sed nimis longum esset de laudibus philosophiæ disserere: quare ad id, quod reliquum est, pergamus. Medicina, quamuis si ad tractationem, & usum respicias, ars non ita liberalis & illustris uideri possit, si cum ijs conferatur, quas iam commemorauimus, cognitionem tamen si contempleris, reliquis nihil omnino inferior est: quid enim uel præclarius, uel iucundius, quàm corporis naturam, singulasq; eius partes optime tenere, omnia morborum genera non modo nos-

ſe,ſed etiam, quæ remedia ijs adſcribenda ſint, ſcire? atque hanc facultatem omnium maxime utilem & expetendam eſſe, uel hinc perſpicuum eſſe poteſt, quòd ſine hac ne animi quidem commodis uti poſſumus;ut enim alimenta nobis terra ſuppeditat,ſic medicina ſanitatem aut ſeruat,aut reſtituit, ſine qua quid ualet ingenium?quid doctrina?quid ullum denique uel animi,uel fortunę bonum?iam uero ſi quæſtu ducimur, licet ex hac arte non minus lucrum facere,quàm ex alijs. Quamcunque igitur ex his tribus facultatibus diſcendam tibi,colendamque propoſueris,præclare, opinor, ſtudium & operam collocaueris. in qua tamen deliberatione maximam rationem duci conuenit ipſius naturæ;omnia enim noſtra ſtudia ad illius regulam dirigenda ſunt,nihilque contra naturam contendendam; nec ſolum cum ad agendum aliquid accedimus,conſiderare oportet,utilene & honeſtum illud ſit, ſed etiam num efficiendi facultatem habeamus, ne forte ſi maius onus ſuſceperimus,quàm poſsimus ſuſtinere,turpiter illi ſuccumbendum ſit. Sed iam finem faciam huic meo ſermoni, ſi prius oſtendero, quàm diligenti præparatione opus tibi ſit antequàm hoc negotium aggrediare; id quod per te ipſum facile cognoſcere poteris, ſi conſideraueris, quanta diligentia & apparatu utantur ij, qui ad aliquem mercatum proficiſcuntur emēdi aliquid cauſa,unde quæſtum,& lucrum ſibi quærant; ſi enim id illi in re tam leui & ſordida faciunt, quid tibi faciendum eſt in tam graui & honeſto negocio,ex quo non pecuniam modo & opes,uerum etiam perpetuum nomen tibi,domuique tuæ aſſequi poſſe uidearis?quare ne id committas, quod multi faciunt, qui ad gymnaſia accedunt, tantum ut procul à patre & ſuis liberius poſsint uiuere, & eorum,qui literis ſtudent, nomen habeant, re uera quid uis potius agant quàm id cuius cauſa à ſuis mittuntur, maxime tibi cogitandum eſt, quam graue munus ſubeas, quantum in diſcrimen exiſtimationis tuæ uenias:huc enim proficiſceris tanquam ad bonarum artium mercaturam,unde te inanem redire,eò tibi turpius eſſet,quò in huiuſmodi re fortuna nihil poſſe uidetur,ſed totum in diligentia & induſtria noſtra poſitum eſſe:nullam enim,ut opinor, uim tempeſtatis,nullum ſcopulum in hoc curſu pertimeſcimus,uiſi forte improborum conſuetudines ſcopuli appellandi ſint, quòd hi nobis non minus infeſti eſſe ſoleāt, quàm Nautis Carybdis & Scylla.ſed has difficul-

difficultates superare, consilium nos & prudentia præclare edocet. quæ qm̄ in adolescentibus uix reperitur, ideo fit, ut non pauci ad eos scopulos appellāt. sed te, ut opinor, optima disciplina, qua semper usus es, facile ab his tāquam monstris defendet, & ego pro mea parte in eo libenter te adiuuabo, tum prouidendo, ut probos & bene moratos tibi inueniam socios, tum uitam tuam, cum hic eris, diligenter obseruando, atque etiam, si opus esse uideam, libere pro meo incredibili in te amore increpando, & corrigendo. Vale. Perusiæ.

Ludouico fratri.

ET si literis tuis, quas proxime accepi, nihil habebam, quod responderem, tamen non putaui esse meum committere, ut Bernardinus ad uos sine aliqua mea epistola rediret. Erubui equidem, mi frater, cum eam literarum tuarum partem legi, in qua scribis te recentiorem epistolam meam Cardinali tuo legendam, dedisse, eamque ipsum admodum probasse: tantum enim abest, ut epistolam à me scriptam, à uiro tali doctrina, atque iudicio prædito iure probari posse existimem, ut hoc nec agnoscam, nec postulem; quare sic interpretor, aut id te inflammanda mei causa scripsisse, aut illum ob eius summam atque incredibilem humanitatem amicè potius, quàm uerè iudicasse; quoquo tamē modo res se habeat, illud certe effecisti, ut maiori quodam animi ardore atque alacritate hæc studia exculturus sim, quippe qui non planè diffidam, fore, ut ipse quoque, iuuante Deo, aliquid aliquādo in hoc genere ꝑfecisse merito iudicari possim. sed hæc hactenus. Quod à me petis, ut Pamphylium frequens inuisam; id ego & si mea spōte ante faciebam, eò nunc tamen faciam libentius, ac studiosius, quòd ex literis tuis uehementer id te uelle perspexi. Fabius gratissimum mihi fecerit, si literarum maiuscularum, quas appellāt, exemplar ad me miserit, ut corā etiam se facturum, mihi pollicitus est. Tuas ad fratrem literas cui recte darem, non dum habui, habebo cras, summum perendie. Camillus noster nudius tertius uirgini, quam ei frater desponderat, annulum iniecit: ego & Iulius ipsius accersitu affuimus. Vale. Romæ.

Ludouico fratri.

DE epistolarum negligentia, quo tu me nomine accusasti, nihil est, quod me tibi purgem: iam enim meas accepisti, quas ad viij. Id. ad te dedi. Sed, mi frater, literę tuę suauitatis plenæ, illud mihi nescio quid asperserunt molestiæ, quod uideris quodam modo mihi diffidere, ac uereri, ne me argumenti inopia a scribendo deterreat. ego uero promitto tibi & spondeo, cum tantam eius rei uoluntatem tuam perspiciam, & simul quãtum ipse fructũ ex ea re percepturus sim, sæpe cogitem, neminem me prætermissurum, quem ad uos proficisci sciam, cui aliquid ad te literarum non dem uel cum argumento, uel sine argumento. at cum nihil habuero, quod scribã, illud certe necesse erit, ut inanes sint epistolæ, sed hoc quid refert? non id specto, id ago, ut exercitatione duce, eò, quò intendo, aliquando perueniam. Illud uero Franciscæ, nobisq; omnibus tam fuit gratum, quàm quod gratissimum, ꝙ scripsisti, non omnem te spem abiecisse, fore, ut id consequaris, quod ut ne negligeres, ea te, cum hic aderas, hortabatur, utq; res ex sentẽtia cadat, uehementissime cupimus. Tramesinum nullam interposui moram, quin conuenirem, simul ac tuas accepi literas. Is, cũ extremũ illarum caput illi perlegissem, dixit, commentarium de quo scribis, à Paulo Manutio confectum illud quidem, at non dum editum esse, nec fore, ut edatur ante XL. aut L. dies. cum primum in lucem uenerit, idem (si ita uis) faciam, quod ut facerem nunc mihi mãdaueras. Tuas ad Hieronymum literas per certũ hominẽ perferẽdas curaui. Hercules Bonifatij filius dies fere decem minus belle se habuit; nunc tñ conualuit. Vale, & salue ab omnibus nostris. Romę.

Ludouico fratri.

CVM hodierno die ad literarũ me studia retulerim, quæ ualetudine impeditus per aliquot dies intermiseram, putaui meum esse, hoc etiã ipso die ad meũ latinè ad te scribendi institutũ redire, quando ex eo non solum uoluptatem, sed etiã utilitatem percipio maximam. Ego, mi frater, ut ualetudini quoque inseruiam, institui hoc mense, dum se calor frangat, matutina tantum tempora in studijs consumere. reliqua quo melius potero traducam.

ducam. Quirinus in lecto est morbo, leui tamē affectus, ex quo cū euaserit (quod tribus, aut quatuor diebus fore cōfidimus) affirmat planè se istuc rediturum. Bonifacius summa in solicitudine uersatur propter grauem, & periculosam ualetudinē Herculis filij. Francisca accepit numos, quos ad eam misisti. Non scribā plura. illud te oro atq; obsecro, ut ualetudini tuæ, si me, omnesq; nostros ualere uis, diligētissime inseruias, ad meq; literas creberrime des. Hoc erit mihi etiam, atque etiam gratum. Vale. Romæ.

Ludouico fratri.

QVAMVIS, suauissime frater, nunquā mihi dubiū fuerit, quin summo me amore ac pietate prosequerere, summæq; tibi curæ esset salus, & incolumitas mea, id tamē ipsum ex proximis literis tuis accuratissime & amātissime scriptis, multo clarius, atq; apertius cognoui: non enim me ad literarū studia, ut cōsueueras, incitasti, sed reuocasti potius, qppe qui (ut scribis) intellexisti, incōmodæ ualetudinis, quæ me aliquot dies tenuit, eam causam fuisse, q̄ in studia nimium assiduè incumberem. ego uero polliceor tibi, me in posterum, quam uiuendi normā, & regulam mihi dedisti, eā diligentissime seruaturum, literisq; ita operā daturum, ut ualetudini quoq; inseruiam. Hercules nudiustertius suum diē obiuit. hinc facile conijcere potes, quāto in mœrore, luctu, squalore, lacrymis uersentur parentes eius, cū duos duobus mēsibus liberos amiserint, proximeq; eum, quē præ cæteris charū habebant, in quo omnem spem fixerant, atq; locauerant, quē deniq; suæ familiæ lucem, ac splēdorem fore, sibi proposuerant. Verum Bonifatius cum eam domum, in qua tam grauis sibi casus contigit, ne aspicere quidem possit, apud nos est cum tota eius familia. Vale. Romæ.

Ludouico fratri.

PVTO fore, ut hæc te quarta epistola mea ante opprimat, q̄ tu literam ad me: nec tamē ignoro quàm sis impiger in scribēdo, quantamq; dandi facultatem habeas: quamobrem nisi cognouissem ex quibusdā amicis tuis, qui modo istinc sunt profe-

ctí, esse

cti, esse tibi ut uolumus, summa cura de te, ac solicitudine essẽ, præsertim cum ante hac singulis literis meis statim rescripseris. Nunc uero ꝙ ad ternas nihil planè responderis, occupationi tuæ tribuo: sed tamen non possum non aliquantum admirari, quæ nã tanta occupatio tua esse posit, ut non licuerit tibi ꝑ eã uiginti ferè diebus schedulã ad me mittere, ex qua, recte te ualere, intelligerẽ, summa erit hæc. Scribes ad me quàm primum, si quicquã me amabis, q̃d tu agas, nunquid à Syluio, cęterisq; nostris allatũ tibi sit. si unquam auide tuas expectaui, nunc profecto maxime. Vale. Romæ.

Ludouico fratri.

ACCEPI iucũdissimas literas tuas, quas legi libẽtissime. sed duo tamẽ fuerunt in illis, quæ me ualde cõmouerunt, atq; perturbarũt, eoq; magis, ꝙ pręter opinionem meam omnino, & ęxpectationem euenerunt; quorũ unũ est, de acerbissima ac miseranda Hippolyti patruelis nostri morte, ex qua qui maior, quàm ego, molestiam, aut dolorẽ traxerit, puto esse neminẽ. At quid facias? omnia ferenda. Alterum, ꝙ scribis Hieronymũ Romam hoc anno eõ non accessurum, ꝙ res nostras recte prius eũ cõponere, & constituere oporteat. ego uero putarẽ, omnibus rebus posthabitis huc omnẽ aliquando spem, & cogitationẽ dirigendã; nec enim uideo, cur tantum intersit, utrũ per eum, an per alium è nostris constituantur; ꝙ si quam etiam in eo iacturã faceremus, ut profecto faceremus; noui enim hominis ingeniũ, noui industriã, lucrum tamẽ, quod nobis accederet ex eius ad urbẽ aduentu, iacturam longè superaret. Quid quæris? uereor, mi frater, cũ quotannis uos eandẽ cantilenam canere uideã, ne annum magnum Platonis (quod aiunt) expectetis, sed hæc uos pro uestro iudicio actius cõsiderabitis, meũ nõ interpono. me certe spe maxima priuasti. nunc cognosce cætera. Frãciscæ fratris literas statim reddidi, & quæ mihi mandasti diligenter exposui. Quirinus, qui ait, se ita auide aduẽtum uestrũ expectare, ut ne mihi quidẽ concedat, & profecto mirum in modum se amantem, & obseruantem tui omnibus in rebus ostẽdit, omnia in cubiculo tuo parabit, quæ aut ipse opus esse uidebit, aut à surdo admonebitur. Ludouicus sororis nostræ uir ꝑ literas diligẽter mihi mãdauit, ut tibi salutẽ plurimã ascriberẽ. Vale.

Iulio

Iulio Portæ.

DISCEDENTI mihi à uobis,& iucundiſsimã conſuetudinem tuã dimittenti,in magno meo dolore una illa relinquebatur conſolatio,ꝙ uidebã,nec diuturnũ inter nos digreſſum fore,& quandiu tamen abeſſem,poſſe nõ incommode utriuſq; noſtrũ deſiderium crebris literis leniri; id quod uidebar mihi nõ modo de memetipſo mihi ſpõdere,& polliceri poſſe,ſed ẽt de te affirmare,ſi quidẽ humanitatẽ tuam, & amorem erga me planè perſpectum habeo.quare à te pro noſtra ſumma neceſsitudine, atq; familiaritate, pariq; ac mutua inter nos beneuolentia magnopere peto, ut his menſibus, quibus à uobis affuturus ſum, octauo ſaltem quoq; die aliquã ad me epiſtolã conſcribas. nã cũ mihi gratiſsimũ feceris,tùm illud tibi affirmo,uberrimũ te quoq; ex ea re fructũ,& utilitatẽ percepturũ:etenim ſi cupis ad aliquam latine,atq; eleganter ſcribendi,loquendiq; laudẽ peruenire,ut certe cupis,& maxime debes,ita tibi perſuadeas neceſſe eſt,quod memini etiam ſæpe te a Binardo noſtro admoneri, neminẽ poſſe id aſſequi,& perficere,niſi diu,multumq; ſcriptitarit,quod tu adhuc nec feciſti,nec ferè per ætatẽ licuit.nunc hæc dies,mi Iuli,aliã uitã affert,alios mores poſtulat,ſumenda iã eſt tibi uirilis toga, hoc eſt,uiriles mores atq; inſtituta.deponendæ ſunt, atq; abijciendæ pueriles illæ,& quaſi ludicræ exercitationes, deſcendendum tanquàm in aciem,& puluerem.Quod cum ita ſit,ſtatuo,unũ aliquẽ tibi eligendum eſſe,qui cũ literis dandis, & accipiendis propè decertes:quẽ autẽ potius eligas, quàm eum, qui eſt tecum omnibus ſummæ neceſsitudinis uinculis coniunctus,qui,quod caput eſt,eodem ſtudiorum genere delectatur,qui denique hoc a te beneficij loco,& poſtulat,& expectat, habes profecto neminẽ. Scribe igitur,nec falle ſpem,& opinionẽ meã,ego te faciã quàm primum de ſtudijs meis,quæ nõdũ attigi,ſtatuq; omni certiorem. hæc ſcripſi ex tempore. Vale,& Binardo plurimã dic meis uerbis ſalutem, ad quem ẽt ipſum cum plus ocij habuero, (quẽadmodum ſingularis meus erga illum amor,maximaq; eius in me merita poſtulant)literas dabo,ſi id hominẽ non nolle cognouero. ſinautẽ quas ad te ſcribã,eas ſibi etiam communes exiſtimans,nihil eſt amplius à me petiturus,nõ cõmittã,ut ei literis meis moleſtias ſim. Balnearia.

Fabio

Fabio Plautinio.

CVM heri hora xxij. domo (ut ferè ſoleo) egreſſus eſſem, ec
ce obuiā fit mihi Antonius utriuſq; noſtrū familiariſsimus:
quē poſtquàm ſalutaui: & (ut fit) complexus, oſculatusque
ſum, quid, inquā, de Fabio noſtro? quid agit? ubi terrarum eſt? im-
mo uero, inquit ille, Eugubij modo eum incolumem, ualentemq;
uidi; aliquot. n. ſunt menſes, cū ille acceptis Iuriſconſultorum inſi
gnibus, Bononia profectus eſt. Hic niſi certo ſcirem, cognitū eſſe
tibi, planeq; perſpectum ſingularem amorem erga te meum, co-
narer oſtendere, quāto repente gaudio, & lętitia perfuſus fuerim.
ſed multò facilius potes id tu coniectura aſſequi, q̃ ipſe ſcribere.
lætor igitur, & tibi ſummopere gratulor, ꝙ ſtudiorū tuorum cur-
riculo in celeberrimo totius Italiæ gymnaſio ita confecto, ut oēs
de ingenio tuo, ardentiq; ad literas ſtudio prædicarent, ad opta-
tum tandem, & propoſitum tibi finē perueneris, ꝙ ſi contigerit
(quod & incredibilis mea erga te beneuolentia optare, & ſumma
tua tum probitas, tum doctrina ſperare me iubent) ut celeres, atq;
uberes laborum tuorum, huiusque quaſi tam diligenter culti agri
fructus percipias, tum uero, & maxime gaudebo, & Deo gratias
agam immortales. Reliquum iam eſſe uidetur, ut aliquid de uitæ
meæ ratione, ſtatuq; adſcribam. Scis me iſtinc eo animo diſceſsiſ
ſe, ut cum unum, alterumùe annū in his humanioribus literis con-
ſumpſiſſem tum ius ciuile aggrederer, idq; non ꝙ natura ad hoc
ſtudiorum genus admodū eſſem propenſus, ſed quia, & meos oēs
ita uelle intelligebam, & multa me ad ea ſtudia habiturū adiumen
ta, & quaſi ſubſidia uidebam, in quibus illud erat maximum, ꝙ fra
trē haberē, qui magno mihi in hac facultate addiſcenda uſui eſſe
poſſet, accidit poſtea, ut Romam profectus, cū aliis de cauſis ſen
tentiam mutare fuerim coactus, tum uero præcipue, ꝙ inueni, cō-
ſobrinæ meæ filium, qui cum coniunctiſsime, & amantiſsime ui-
uo, philoſophiæ ſtudia ſectari: etenim cū ſtatuerem, omnē fere mi
hi uitā unà cum eo fore traducendam, uix mihi licere ſum arbitra
tus, non eadem, atq; ille, ſtudiorū genera amplecti, huc accedebat
(quod uel maxime urgebat) ut ea eſſet ualetudinis meæ ratio, quæ
uix uideretur iuris ciuilis ſtudiorum labores poſſe perferre. Hæc fe
rè ſunt, quæ me de propoſita ſententia depulerunt, effeceruntque
ut

ut Philosophiæ me dederem, cuius tamen rei (uere ut dicam) tantum abest, ut me pœniteat, ut quod necessario, & propè inuitus feci, id iudicio, ac uoluntate fecisse, maxime uideri uelim: tantam enim uideor mihi in his studij suauitatem ac iucunditatem quasi præsentire, ut hæc sola studia qui sequuntur, & colunt, ij uideantur mihi (pace tua dixerim) & boni uiri, & uera laude digni. Sed, inquies fortasse, quid scientiæ nostræ fructus? quid honores? quid dignitates? at ego, quid labores? quid discrimina? quid pericula? ualeant uberes isti fructus, ualeāt dignitates. Equidē hoc animo semper fui, ut animi oblectationem longe utilitati præponendam esse putarē, nihilq; esse quieta, & trāquilla uita iucundius, nihil amabilius. Nos autem, quamuis magnam uim habere uideatur studiorū similitudo ad amicitias tum c niungendas, tum confirmandas, tamen nihil est, quod uereamur, ne summa necessitudo nostra, hoc uinculo ablato, non dicam dissoluatur, sed relaxetur: tot enim tantisq; præterea uinculis astricta est, & colligata, ut præclare se sustinere sine illo tueriq; possit. Vale.

Ludouico fratri.

IS, qui has tibi literas reddidit, Octauianus est affinis noster, cui nos & propter affinitatem ipsam, & propter habitationem, de qua mihi accommodauit, omnia debemus. Romam uenit, ut tributorum quorundam immunitatem à Pont. Max. petat, quam quidem impetrare, haud sibi difficile fore existimat, præsertim cū Cardinalis, qui modo hic Legati locum obtinebat, omne ei in hac re studium, atq; operam pollicitus fuerit. accedit, quòd maxime æquum, & honestum esse uidetur, ut ratione aliqua resarciantur damna, quæ quidē magna fecit in ædibus, & reliquis fortunis suis, dum præfuit huic urbi, atque prouinciæ Crispus Card. quemadmodum coràm ex ipso commodius poteris cognoscere. Velim igitur hominem hoc in negocio, quibuscunq; rebus poteris, adiuues, itaq; accipias, & tractes, ut quàm gratissimos erga ipsum nos esse cognoscat. Vale. Perusia.

Vincentio Ramosetto.

TV uero, mi Vincenti, ne ab ullo quidem, quamuis moroso & difficili, ne dum à me aut inhumanus, aut negligens existimari debes, quòd literis meis officij tantum causa scriptis, serius responderis. præsertim cum tam graui fueris, tamque hone-

sto negocio impeditus, in quo quidem facile conijcere poteras, gratius te mihi facere, quàm si epistolæ meæ statim rescripsisses. tua igitur excusatio, quò minus necessaria, eò mihi gratior fuit, & iucundior. Sed uiden, ut iã sit mihi ea de re, & mihi ipsi, & tibi planè gratulãdum, de qua gratulari ut cito possem, cupere me, & sperare, superioribus literis adscripserã? nimirũ tu optimos es, & fertiles agros imitatus: ut enim illi arati, ac sati, uberrimas breui fruges edũt, sic animus tuus studiis & doctrina excultus, atq; ornatus magnos statim cæpit, & lætos fructus efferre: q̃d enim debet ingenuo, liberaliq; uiro optabilius esse, q̃ primos laboris, & industriæ fetus patriæ, cui uel ipsam uitã debemus, persoluere? q̃d porrò utilius aut p̃clarius, q̃ ciues suos honestissimo sibi beneficio deuincire? uersatur mihi ante oculos magna ciuium multitudo te adeuntiũ, te honorifice salutantiũ, à te opẽ petentium uel ad suã, uel ad liberorũ propinquorũ uè salutem, ualetudinemq; curandam. uidere mihi uideor cõplures, qui immortales tibi gratias agant, q̃ suã, ac suorũ incolumitatẽ & uitam tibi maxime secundũ Deum acceptam referãt, qui deniq; omnia se tibi debere fateantur, ac tẽpore & loco p̃staturos, largè promittant. q̃ quidẽ adeo egregia, ac splẽdida uidentur, ut ego, q̃ ita cõparatus mihi uideor, ut ea in me nõ multi æstimaturus fuerim, eadẽ tamẽ in te & maxime probem, & plurimi faciã. nam q̃ ais, me ueros, ac suaues uirtutis fructus percepturũ esse, ego quidẽ ita statuo, itaq; spero, iuuante Deo, & maxime cupio, &; quamuis id plerisq; certo sciã aliter uisum iri, hoc tamen ipse minus sum laboraturus. Vale. Perusia.

Hieronymo fratri.

LVDOVICI aduentus & magnã mihi uoluptatẽ attulit, & dolorẽ fortasse nihilo minorẽ: uidere enim fratrẽ amantissimũ atq; optimũ, mihi sanè gratiosissimũ fuit, eundẽ autem ueteris illius grauissimæ calamitatis uestigia & animo, & corpore etiã nunc præ se ferentẽ uidere, non potuit non molestũ accidere, p̃sertim cum solerem antea in eius oculis, & uultus hilaritate quadã ita acquiescere, ut omnẽ ille mihi caliginem, quæ animum meũ sæpe solet occupare, penitus discuteret. quãquã ipse quidem qua est animi constantia, & robore munitus, facilius etiã uidetur, q̃ existimaram, aduersam fortunã tolerare, mihi uero, qui nõ sum animo ita fortis, refricuit quodãmodo dolorẽ hominis aspectus,

qui iam refrixisse, atq; adeò cicatricem obduxisse uidebatur. Atq; quidē duos ferè totos dies apud nos cū fuisset, à Card. tā benigne, & humaniter acceptus, q̄ qui maxime, ita à nobis discesit, ut magnum apud omnes sui desideriū relinqueret, sed ut maior esset & uberior lætitia, quam ex fratris aduentu percepi, tuæ literæ effecerunt, q̄bus unis pluribus meis diligenter rescripsisti, quanquam ne illæ quidē lætitiā mihi dolore planè uacuā, & purā attulerunt; scribis enim silentij tui causam esse, non solum negotiorū multitudinem, sed etiā animi molestiā, & angorē. Quid est, mi frater, cur tātopere excrucieris? an q̄ uidearis tibi tantū te istic non progredi, & proficere, quantū optares? at ego audio te apud omnes, quibus cognitus sis (es autē q̄ plurimis) in summa opinione esse & existimatione. an q̄ uererisne domino in negotiis istic suis procurādis satisfacias? at affirmo tibi & adiuro, operā, fidē, & diligentiam tuā summopere probari tum ipsi, tum his, qui apud eū plurimum possunt. q̄ si laborū tuorum leue adhuc præmium tulisse, aut ferre, tibi uideris, nec satis scire quid Card. de te deliberatū & cōstitutū habeat, scito ita esse plerisq; in rebus hominū mentem tectam atque reconditam, ut difficillime posit eorū uoluntas & consilium perspici. quare percōmodū à te factum est, q̄ occasionem arripueris, qua scire posses quo modo, qua vè conditione tibi uiuēdū sit. Sed hęc ex Ludouici literis, quas ad te mitto, perspicue cognosces, putoque fore, ut omnem illæ tibi animi ægritudinem abstergant. qđ uere an'ne falsè crediderim uelim à te ipso scire. Vale. Perusia.

Francisco Valterio.

MEmoriam ego quidem tui summa cum obseruantia seruaui ad hanc diem integerrimam, & seruabo quoad uiuam diligentisime; qui enim posim unquam sine magna reprehēsione atque adeo sine scelere illius uiri obliuisci, qui me, dum licuit per tempora, ad bonas artes, & disciplinas tam studiose, fideliterq; instruxit? Sed hanc ipsam memoriam tuis nunc literis renouatam esse, & excitatam facile patior, præsertim cum hoc tempore ne ubi quidem esses, scirem; neq; enim id si sciuissem, commisissem omnino, ut istuc Ludouicus frater sine aliqua mea ad te Epistola ueniret. tuæ igitur literæ iucundisimæ mihi

fuerunt,tùm quod recta de te nuntiabant, tū quia plenæ erant humanitatis,& amoris erga me tui.Quòd autē consilium mihi tuū, ac desiderium patefeceris,commodè,& rectè fecisti , mihiq; pergratum,nā nec tu poteras cū ullo amantiore tui illud communicare,nec mihi quicquam acciderit gratius,q̃ si qua facultas detur, qua possim tuis erga me meritis aliqua ex parte satisfacere.huiusmodi autem tēpus potero multò facilius arripere , perspecta uoluntate,& cupiditate tua,uerum in præsenti quidē cum tua mihi Epistola,amisso iam tēpore,reddita sit(eam.n.ad iiij.Id.Nouem. accepi)id,quod mihi mandabas,non modo non perficere , sed ne conari quidē,aut aggredi potui.quanquā,ut ne quid dissimilem, ēt si esset ea ad me,re adhuc integra,allata,tamen non uideo,quid tibi potuissem in hoc negocio prodesse;illi enim, cuius tu in locū reponi cupiebas,non tam eam ob causam munus abrogatum est, ꝙ discipulorū animis non satisfaceret,q̃ ut pecunia , quæ in eius stipendium erogabatur,alijs attribueretur: tantæ sunt hac tempestate ærarij angustiæ.Reliqui sunt duo,qui humanas literas in hoc gymnasio profiteantur,Taurellus noster,& Camænus , quorū in alterum tātum abesse arbitror, ut quicquā pro te moliri quenquā uelis,ut nihilominus eius,q̃ tui ipsius causa uelle te,& cupere,certo sciam.In alterū uero,& iniquū , ac propè impium esset aliquid audere id ætatis præsertim,idq; probitatis uirum, & ut audeas,nihil sanè proficias:etenim cū Perusinus sit ciuis, & tādiu hoc onus sustinuerit,hancque personā gesserit , ut uideatur suo quodāmodo iure non solum debere hunc gradū retinere,sed maiora ēt posse postulare,quis tandem adeò iniquus reperiatur, qui eum nunc ætate confecta hoc commodo,hocve dignitatis gradu spoliatum uelit,in quo omnes ætatis suæ uires consumpsit ? Nam ꝙ ad Eugubinam prouinciā attinet , optassem ego quidem maxime omniū eam tibi decerni,idq; non magis tua causa,q̃ meorum ciuiū amore:neq; enim ignota est mihi probitas tua, ac doctrina , summaq; in docendo diligentia,& longus usus. Sed non ita multis diebus ante,q̃ tuæ ad me literæ perferrentur,certior factus sum, eā prouinciam Francisco Caballo in alterum annum fuisse prorogatā, idq; factum est,ut puto,ante Ludouici reditum in patriam. Vides igitur,si neq; hic à me neq; illic à meis quicquā adiuuari potuisti, id nō nostra aut culpa,aut negligentia accidisse,sed uel temporis,

uel

uel fortunæ iniuria. quæ adeo nobis illudere uidetur, ut non prius ferè aliquã gratiæ ijs referendæ occasionem ostendat, qui optimè sunt de nobis meriti, q̃ eandẽ eripiat, atq; auferat, sed animo certe, & uoluntate ipsa quominus grati simus, perficiet illa quidẽ nũquã. ꝙ si futuro anno ita rerum ac tẽporũ ratio tulerit, ut possimus, aut in patria nostra, aut Perusiæ cõmodo, & honori tuo consulere, studiũ tibi nostrum gratiamq;, quantacunq; est, officia denique omnia utrobique constabunt. Vale. Perusia.

Hieronymo fratri.

HODIE mane cum, ꝙ ociosus eram, aliquid, quod ad te scriberem, mecũ ipse quærerẽ, nec in mentem quicq̃ ueniret, hìc obtulit se mihi Epistola q̃dã mea, quam superioribus diebus ad Vrbini epm conscripseram: quæ quidẽ uisa est mihi me quodãmodo admonere, ne peius ipsi uellem, q̃ cæteris plerisq; epistolis meis cõsultum esse, utq; ipsam quoq; legendã tibi, & expoliẽdam mitterem. morẽ igitur ei libenter gessi, atq; adeò id à me ipsi gratiæ loco deberi existimaui, ꝙ hoc mihi nescio q̃d scribendi argumenti suppeditasset. eã aũt ad te ita mitto, ut, si digna tibi uideatur, cui studiũ tuum impertias, ornamenti aliquid ꝑ te, & uenustatis cõsequatur, sin minus, tanq̃ audacem, & impudẽtẽ reijcias, atq; repellas. Nihil mihi longius uidetur, q̃ dum aliquid de Ludouico fratre, uel abs te, uel ab ipso cognoscam, ut et saluũ eum uenisse gaudeam, & sciam, num se ad alicuius eorũ familiaritatẽ applicauerit, qui nuper Cardinales declarati sunt: nollẽ enim eius uirtutem, & industriã diutius iacere: tẽpus iã est, ut se ipse colligat, animumq; erigat, & optime instruat, ut cõtra fortunã, quasi cõtra hostem fortissime pugnet tu ei meo nomine salutẽ dices, & curabis, ut sciat suã apud Vrbini epm cõmendationem Mario Marionio multũ profuisse: dixit. n. heri mihi eps, cum rẽ ei ipsius Marij rogatu in memoriã redegissem, placere sibi, & Cardinali, ut liceat hìc homini corporis tuẽdi cã cum lorica, & pugione impune esse. reliquũ iam est, ut hanc eorũ uoluntatẽ, & cõcessum diplomate sanciendum, & muniendũ curem, id quod propediem faciam. Valete, & saluete ab omnibus. Perusia.

Hieronymo

Hieronymo fratri.

EST fermè ita, ut scribis, amãtissime frater, debuerat propè exaruisse tua dicendi facultas, atq; ubertas, idq; in alio quouis fortasse homine factũ esset, tot, tantaq; obtulere se tibi impedimenta; Sed tamen tu ijs ita fortiter tũ studio, ac diligentia, tũ ingenij ui & magnitudine obstitisti, ut facilitas illa tua, atq; elegãtia, quasi arbor, firmata iam stirpe, stabilis adhuc permaneat & solidã seruet uiriditatẽ. aut ego amore fallor, qui quidem quãto maior est, tanto minus sinit nos recte iudicare. uerum, ne putes, qđ ad studiorũ genera attinet, me multo meliore conditione in hac re fore, scito, si minus forte nosti, nostræ ætatis philosophos ferè omnes, tũ qui docent, tũ qui scribunt, aut scripserunt, de Latinis loquor, orationis elegantiã ita negligere, atq; despicere, ut uideantur in eo ne uestris quidẽ iurisconsultis quicquã omnino cõcedere. tãta est orta inter eloquentiæ, ac doctrinarũ studia dissensio, tantumque factum quasi diuortiũ, ut uerear, ne, quod ipse tibi modestiæ, ut ego interpretor, gratia accidisse scribis, id mihi uerè planè contingat, cũ impedimenta habeã fere eadẽ, adiumẽta certe multò tenuiora, quanquã eò fortasse minus exaruisse mea scribendi facultas dici poterit, ꝙ illa in me nũquã sane uiguit. habes ad primum epistolæ tuæ caput. accipe ad reliqua. De impensa minuẽda nolim amplius abs te admoneri: neq; enim necesse est. & quidẽ sint ꝑ me res nostræ quouis tẽpore, quantumuis bene constitutæ, affluamus omnibus copijs, nõ iccirco fuerint unquã sumptus mei largiores. Bartholomęo satis à me factũ esse, ualde lætor, nec parũ uideor mihi esse cõsequutus. Sed eò magis miror, hominẽ, alioqui humanissimũ, & maxime officiosũ Falloppio nihil omnino rescripsisse. literarum nescio quid ad Card. istum tuũ conatus sum cõscribere pro argumẽto, quod tu mihi demõstrasti. tenue sanè multoq; exilius, q̃ ut potuerit quicquam ex eo cultura atq; ingenio meo uberius educi. eas tamen ad te misi. tuum nunc fuerit, quid de illi faciendum sit, constituere. Vale. Eugubio.

Hieronymo fratri.

NVLLA res erat, de qua ad uos scriberem, tibi certe nihil scripsissem hodie, nisi quiddã forte euenisset, in quo uidebatur mihi opus esse iudicio, atq; opera tua. id cuiusmodi

sit,

ſit,iam narro.Superioribus diebus cũ uiderẽ nos à publicis ſtudijs feriatos futuros eſſe uſq; ad Cal. April.decreui,græce aliquid legere quod ad dicẽdi facultatẽ pertineret;aliàs enim tẽporis mihi quidem nihil nunc ſupereſt ad hæc ſtudia excolenda, & cũ nollẽ quicquam aggredi,quod non poſſem ante abſoluere,q̃ publicæ ſcholę reſerarentur, primã Demoſthenis Philippicã percurrendam mihi propoſui.heri uero cũ Franciſcũ Robortellũ,ut aliquando ſoleo, inuiſiſſem,accidit ut homo poſt aliquot ſermones ex me,ut fit,p̃cunctaretur , ecquid ſtudij his feriarũ diebus uel Demoſtheni uel alij cuipiã gręco oratori tribuerẽ.cui ego cum id quod erat,quodque tibi iam ante ſignificaui,reſpondiſſem,tũ ille Demoſthenẽ mihi obtulit,& locũ quendã eius ipſius orationis oſtẽdit, in quo ſcrupuli non nihil haberet,ſimulq; quid ipſe de eo ſentiret, aperte protulit,& meã etiam opinionẽ poſtulauit.locus is eſt,qui nõ longe à media oratione legitur,ubi Atheniẽſibus ſuadet orator , ut copias aliquas ſibi cõparent,quę aſsiduè contra Philippũ certent,damniſque eum afficiãt.uerba autem quæ cõtrouerſiã faciunt , hæc ſunt, καὶ ἱππαγωγού τούτοις εἶεν. in quibus ille exiſtimat mendũ librariorum inſcitia hæſiſſe,&,quamuis aduerſentur tũ omnes impreſsi libri,tũ unus,qui apud eũ eſt,manu ſcriptus,ipſe tamen ita corrigit καὶ ἱππαγωγοῖς τούτοις εἶεν, ut ſenſus ſit,nauesq; ipſis equitibus uehendis ſex numero adſint.& coniecturam hanc ſuã Thucididis authoritate conatur confirmare,narrãtis,ut dicit , in ſexto libro ſuæ hiſtoriæ, ſingula quæq; nauigia triginta equites ferre conſueuiſſe. quare uidetur, aiebat,ad hanc rationẽ numerus hic nauium cũ numero equitũ,quos Demoſthenes parandos cenſebat,ferè conuenire.hæc ille cũ dixiſſet , reſpondi ego,ea,qua decebat, modeſtia, uideri mihi ipſius coniecturã ſanè q̃ ingenioſam , ſed tamen operæpretiũ putare,ut conſideraremus,nunquid & nullo omnino uerbo immutato ſine Codicis ullius teſtimonio bonus illi ne ſenſus elici poſſet, puncto duntaxat pronomini τούτοις appoſito, ut ibi ſiſteremus , & ſententia ita ſe haberet , καὶ ἱππαγωγοὺς τούτοις, ſupple , εἶναι κελεύω , quæ quidem uerba non multo ante ab oratore poſita fuerant,ut nõ ſolũ hìc,ſed etiã paulò infra, ut opinor, deſeruiant,cum addit,ταχείας τριήρει δέκα:etenim hoc etiam in loco aut illud idẽ, aut certe aliquid ſimile ſuppleamus oportet. his ille auditis,parũ abfuit,quin mihi aſſentiret ab ipſa,ut opinor,ueritate

ritate impulsus; reuocatus tamen in mea adhuc, inquit, senten-tia permaneo: ita enim & orator defecisse uideretur, qui nauium numerũ ꝓponere omisisset, & εἶεν illud ociosũ fermè esset. ad hoc ego dixi, fortasse nõ necesse habuisse Demosthenẽ nauium numerum docere, quũquidẽ equitũ ipsorum numero percepto, inde facilè colligi posset, quot nã, quæ eos ueherent, nauigia cõstituenda & paranda forent, tot .s. quot satis essent ad ducentos equites capiẽdos atq; uehendos. uerbũ uero εἶεν uideri mihi belle, & eleganter per se stare, itaq; sæpe apud Demosthenẽ usurpatũ reperiri, ut sit μεταβατικὸν. Hæc te scire uolui, ut, re diligenter considerata, atq; etiã cũ Constantino nostro cõmunicata, utriusq; uestrũ sentẽtiam perscribas ad me: quamuis enim Robortelli ego doctrinã, & authoritatem plurimi faciam, tamen in hac re mea me opinio magis delectat; cui uos quoq; puto adscripturos, sin minus, tum uerò libenter eam mutabo. Vale. Patauij.

Hieronymo fratri.

EO ipso die, quo literas tuas accepi, grauis me stomachi dolor inuasit, quẽ febricula quædã insequuta est, credo, quòd in eis mihi, ut medicinæ studij me dederem suadebas, quasi uerò & morbus ipse eò me impellere conaretur, monens quodãmodo, ꝙ opportuna sit ars illa, ꝙ necessaria, ꝙ nõ modo alijs, etiã his, qui ipsã possident sæpenumero utilis. Sed nec dolor tãti fuit, sed ut id mihi in animũ induxerit, quippe qui uideã tot eẽ nostris tẽporibus, qui huic arti incũbunt, ut nullũ sit periculũ, ne medici nobis ubiq; præsto nõ sint futuri, & sciam, in ꝓprijs ægrotationibus non multũ eã prodesse, nec stimuli tui quicꝙ profecerunt; etenim nõ uideo, q̃d sit, cur debeamus in hoc exiguo uitæ curriculo animum diuitijs tantopere adijcere: neq; uero intelligo, qui nam philosophi, modo hoc nomine digni sint, nõ diuites atq; beati ex hac uita migrẽt; cõtraq; probabilius mihi quidẽ uidetur, plerosq; medicos, aut etiam, pace tua dixerim, iuriscõsultos pauperrimos, & miserrimos interire, quàm unũ philosophũ, uerè inquam, philosophũ. Sed hæc uos deridetis scio. ego tamen, ut nunc est, cogito in hisce studijs, in quibus uersor aliquot adhuc annos permanere, si non ea, qua uellẽ, ea certe, qua possum cura, ac diligẽtia, idq; eo

consilio

consilio, ut honestã nec ociosam, inertemq; uitã degam. ꝙ si contigerit, ut inde etiã lucrari aliquid aliquando possim, non equidẽ respuã; sin minus, non icciro me fine, & proposito meo deiectum existimabo. Verbo autẽ illo repono pro reddo in superiori epistola mea uideor mihi non ita ἀκύρως, & preter bonorũ scriptorum cõsuetudinẽ usus esse, ut ipse asseris. nã ut Plautũ & alios mittam, apud ipsum Ciceronẽ duobus in locis illud reperi, sensu, ut puto, non multò dissimili usurpatũ. quorũ unus est in ep. ad Att. lib. 13. ep. prima pag. 207. alter in famil. lib. ep. q. pag. 14. hæc si tu satis esse ad me defendẽdũ iudicaueris, gaudebo, si secus, non luctabor tecum amplius. uerũ cõsidera etiã tu, an, dum me minus proprie loquutũ fuisse, insimulas, uerbum improprie recte protuleris: ego. n. non memini me illud apud Ciceronem unquam legisse. Cardina. nostrũ cum familia fere tota ex urbe profectum esse lætor: suspicor. n. cœlum istud minus ei salubre esse, optoq;, & ipse mirum in modũ, ut bene sanus reuertatur, si quidẽ rumor est iã apud oẽs de ipsius morbo peruulgatus. De collybo, uolo. n. ordine perturbato ad omnia tibi rescribere, tantũ dicam si familiaris ille meus posthac de permutanda pecunia mecũ egerit, ei me responsurũ, nummos mihi in sumptus Roma amplius non erogari, aut aliquã aliã, quã potero, meliorem excusationẽ allaturũ: ego. n. erubescerẽ sanè isto modo loqui, nolo argenteã, sed auream pecuniã permutare: in ea. n. detrimenti nõ nihil facio. quisnam, quæso, amico homini ita dixerit? quis sanè mentis nõ multo pluris fecerit amicorum, q̃ pecuniæ iacturam? Hæc scripsi remoto, iã dolore, & febri, stomacho tñ aliquantũ adhuc languenti. tu cura ut optime ualeas, & Vrbinatum episcopum Bartolomeũ, & Vincentium medicos saluta meis uerbis, atque etiam his, si lubet, de quæstu, quem medendo faciunt, plurimum gratulare. Patauij.

Honorio Portæ.

EGO uero, mi Honofri, te non modo non accuso, ꝙ antehac admodũ nunq̃ scripseris, sed ẽt amo quam plurimũ, ꝙ nũc primus & hoc me officij genere prouocaueris; in quo polliceor me tibi cum semper cumulatissime respõsurum, quem admodũ in amore pariter sanè tibi respondeo, tum hoc maxime

tempore, quo ocij mihi à cæteris studijs multum superest, nec ulla fere latine scribendi exercitatione utor, ita ut uerear interdũ, ne quã uideor expectationem huius rei apud multos cõcitasse, eã tueri non posim. sed uenio ad literas tuas, in quibus cũ omnia me delectarunt, tum illud in primis gratum, & optatũ accidit, ꝙ perspexi, te ad literarum studia propensissimũ esse, quod si ita est spem bonã habeas licet, & magnum animũ, ẽt si non multum hactenus profecisse, quod tamen secus esse demonstrant literæ tuæ: ea.n. ẽt nunc ætate es, ut facile posis cursu corrigere tarditatem, cũ præsertim ualetudine, sicut conijcio, bona, & satis firma utaris: in his .n. duobus sunt fermè oĩa. De mea aũt Patauio ꝓfectione aut fuga potius, bene tu q̃dẽ coniecisti: etenim fuit mihi hæc res permolesta ualdeque incommoda; sed tamen non ita male cecidisset, si pestilentiæ suspicio, quæ nos perterruerat, & in fugam uerterat, statim, ut sperabatur, extincta esset. nunc uero cum id teterrimum malum tantisper delituisse, & iã (quomodo aiunt) quasi ardens fax reuiuiscere, atq; exoriri uideatur, anxio, ancipitique animo sum, & magnopere timeo, ne tutum sit, illuc redire. quod quidem eò mihi molestius fuerit, ꝙ literæ tuæ spẽ maximam afferebant fore, ut ibi te propediẽ uiderẽ, & iucundissima cõsuetudine tua fruerer, q̃to aũt desiderio tui ipse tenear, tu pro nostra summa cõiunctione, & familiaritate dubitare nõ potes. Sed hæc Deus gubernat, nos pro rõne temporũ consilium capiemus, neq; uero spẽ oẽm abieci uidendi tui, si minus in ea ciuitate, alibi certe uspiam. nam matris tuæ consiliũ mittendi te ad aliquod nobile Gymnasiũ tã probo q̃ quod maxime, & scito, nõ semel mihi in animo fuisse, de hac re istuc ad uos scribere; sed pudor me quidã retardauit, ac suspicio, ne uiderer prudentiæ matris tuæ, fœminæ sapientissimę, diffidere, at certe si habes cõstitutũ, ut uideris, & ut debes, literarũ studia ꝑsequi, censeo oĩno, id, cum primũ cõmodum erit fieri debere. Nam præter cætera illud quoq; uidetur magni referre, ibi degere, quò scias te bonarũ disciplinarũ, & uirtutum adipiscendarum cã missum esse. Verũ hæc uos multò melius. Te, & Leonorã sororem ex morbo nõ ita leui conualuisse uehementer gaudeo, & facile patior, simul me de recuperata atque de amissa ualetudine uestra certiorẽ esse factũ: uoluptas.n. nõ multò nunc maior esset, si ante uos ægrotasse sciuissem, dolor certe grauior extitisset, si,

adhuc

adhuc uobis laborãtibus, mihi de ueſtra ualetudine nunciatũ eſſet. Puto id me ad oĩa tibi reſcripſiſſe; neq; .n. expectes, dũ tecũ uel de anni intẽpeſtiua cõmutatione cõquerar, uel agam de corrigenda Epiſtola tua; in qua errati nihil eſt, aut ego nõ diſpicio. perge igitur ſcribere, & utere Cicerone magiſtro. Mater mea cum uniuerſa familia ſalutẽ tibi adſcribit, tu uelim meo nomine plurimã referas cunctis affinibus, maximeq; matri, ſororibus, & fratri. Cura ut ualeas. Eugubio.

Fratri Ioſepho Bergomo.

NIHIL eſſe puto, cur multũ in eo laborẽ, ut oſtendã, memoriã me tui ex illo tẽpore, quo iſtic unà fuimus, integrã ſemp conſeruaſſe: confido .n. tibi iã pridem eſſe pſuaſum, nihil me homine indignius exiſtimare, q̃ in amicitia incõſtantem eſſe, quæ præſertim cũ uiro probo, humano, eiſdemq; ſtudijs dedito contracta ſit, & quidẽ uel ea, quæ pxime de te cũ Auguſtino Mantuano ueſtri ordinis collocutus ſum, ſatis tibi argumenti eſſe poſſunt primæ & ppetuæ meæ erga te beneuolẽtiæ. neq; uero debes aut cõqueri, aut mirari, ſi nihil unquã ad te literarũ dedi, poſt meã illã Patauio profectionẽ, uel potius fugam: fugę enim ſimilis fuit pp magnã peſtilentiæ ſuſpicionem, quę per id tẽporis in illis locis ſuberat; diu enim longè abfui, nec certo ſcire potui, ubi tu eſſes. qđ tandẽ ex tuis literis cognoui, quę quidẽ literę ꝓ me, & Frãciſcum Gonzagã ad uos uiſendos inuitarunt, rẽ fecerunt à ſingulari humanitate ueſtra minime alienã mihiq; ſummopere gratã. ſed ego de me nihil habeo uobis polliceri, cũ mihi non liceat hinc diſcedere. ipſum aũt Franciſcũ pro eius erga uos uoluntate ac ſtudio, proq; ueſtris in eum officijs facile ſperare poteſtis, iſtuc uenturum eſſe. quod ſi fiet, confido equidem non minori ipſi, q̃ uobis delectationi fore, nam & ipſe animum à labore ſtudiorum, quibus eſt mirifice deditus, recreabit cum amænitate, ac ſalubritate iſtius loci, tua ẽt amabili, ac iucunda cõſuetudine ueſtra, & uos ex eius humanitate ingenijq; ſuauitate uoluptatis plurimum percipietis. Rameſinum uero noſtrum tam cognoui amantem tui quàm eſt ipſe dignus, ut ab omnibus ametur. is tibi ſalutem plurimam refert. Vale. Patauij.

Philippo Capriano.

OPtabam equidē mirū in modū, orationem tuam legere de qua sæpius mecū egeras: etenim pp opinionē, quā de tuo ingenio optimā habeo, facile conijciebā, fore, ut ex ea plurimū uoluptatis pciperem. uerū modestia impediebar, quominus illā exigerem, cū præsertim meā ego tibi eisdē de rebus cōscriptā nunq̄ potuerim (quēadmodū pollicitus fueram) ostendere. neq; tn̄ non sperabā, te pro tua humanitate eā ad nos nec postulantes missurū esse. quo fit, ut amicis illis nostris hoc ēt nomine subirascar, quæ malum, fuit ista ratio, ne dicam amentia? nō satis habebant, se ipsis nos, suisq; præclaris operibus, quæ tantopere ostentabant, fraudare, nisi etiam alienis priuarent monumentis? id pietas, id iubet charitas? sed de istis coram fortasse commodius. Te quidem non solum culpa libero, uerum etiam uicem tuam doleo, q̄ huiuscemodi medicis tuum quasi partum commiseris, qui eum laborantem (quomodo ipse scribis) ita diligenter curauerint, ut prorsus sustulerint male profecto nobiscum ægrotantibus agere tur, si talem pater tuus exerceret medicinam. ô labores tui inanes, ô uigiliæ frustra susceptæ, meas certe isti lucubrationes non curabunt. malo minus sanas habere, q̄ funditus pdere. non ita est apud me leuis earum, qualescunque sint, iactura, immo eas ego quidem in posterum, tuo detrimento admonitus, diligentius custodiam. De Pontifice Max. creando uaria atq; ēt pugnantia ad nos afferuntur, ut nihil possimus certò coniectura assequi. Sed tamen quē admodum ante hac magna in spe, atq; expectatione fuimus, ita iā ueremur (ut nunc res est) ne causa cadamus, idq; e rum culpa, per quos maxime uidebamur stare debere. Sed hæc Deus uiderit. Tu cura, ut quartanā istā aliquando depellas, & omnem animum ad literarum studia referas. interim uero ama me, ut soles, & effice, ut nihilo minus diligar à Patre tuo. quem ego quidem ob eius singularem humanitatem, ac uirtutem in primis obseruo. Federico & Annibali Vrbinatibus gratissima fuit salus abs te missa, tibique plurimam referūt. Tuæ ego epistolæ postridie rescripsi, quàm mihi reddita est, cito, an sero, rationem inire non potui: neque enim dies erat adscriptus. Vale Patauij.

Syluio

Syluio fratri.

SI memoria tenes, amantissime frater, quanta ego quidem lætitia affectus fuerim, cùm filiolo illo tuo, omnium amabilissimo, auctus es, facile poteris per te ipsum conijcere, quantum nunc dolorem ex eiusdem morte hauserim, qui certe primo, ut ita dicam, incursu magnus fuit, & uehemẽs: mors enim cum occupat dilectum, contristat in nobis dilectionis affectum. Sed tamẽ ut me collegi, & rationi diuino fauente numine locũ dedi, intellexi debere me omnino, qui tantopere gauisus essem, ubi illum in hãc lucẽ, tenebrarum plenam, susceptum, & in hanc uitam, quæ mors potius, quàm uita dicenda est, ingressum uidi, multo nunc magis gaudere, cũ eũ prope intuerer, quasi purum quendam angelum ad illã clarissimam lucem euolare, & in uerissimam ac felicissimam uitã introire, ubi absorpta est mors in uictoria. Quòd si durum sensui nostro, & acerbũ uidetur, puerum nobis mirificę indolis, tàm cito ereptum esse, cogitare debebimus, eum, qui nobis illũ sua bonitate mutuum dederat, potuisse eũdẽ suo iure à nobis eo, quo ipsi placuit tempore, atq; hora repetere. quin autẽ opportuna illi quidem ac salutaris hæc ipsa obitus, uel potius reditus hora fuerit, dubitare nemo potest, & uero idem nobis maiori, nisi nostra culpa fuerit, solatio, maioriq; auxilio futurum esse, facile nobis ipsi persuadebimus, si recte considerauerimus, q̃ incertæ, q̃ inanes, q̃ fallaces sint hominũ spes, simulq; pie expẽderimus, q̃ certò sperare & possimus, & debeamus, fore, ut beata illa anima suis apud Deũ precibus multũ nos quibuscunq; honestis in rebus iuuet. cur igitur tam excellenti ipsius bono inuideamus? curve non illa potissimũ cõsolatione præclare nos sustentemus, fore. s. ut non ita multò post, diuina gratia adiuti, æterna unà cũ eo beatitudine fruamur? pereat contristatio, ubi tanta est consolatio. detergatur luctus ex animo, fides expellat dolorẽ. Scitè tu quidẽ, frater, & cõmodè fecisti, q te in graui charissimi filioli morte afflixeris, nec destiteris, & per te ipsum, & per alios religiosos homines Deũ pro eius uita humiliter deprecari, Dauidis illa, opinor, uerba adhibens, quis scit, si forte donet eũ mihi dominus, & uiuat infans? sed queadmodum magnum hunc regẽ & prophetã es hoc facto imitatus, sic debes eniti, ut eũdẽ in eo quoq; nihilo minus imiteris, ꝙ postq̃ cognouit,

placitum

placitũ esse Deo, ut moreretur infans, non solũ grauius se non afflixit, quemadmodũ eius serui timebant, adeò ut non auderent, tãtum ei mærorem nunciare, uerũ ẽt luctũ oẽm absterſit, &, cum de terra ſurrexiſſet, ingreſſus eſt tẽplũ domini, & adorauit; atq; inde domũ reuerſus, cibo ſe refecit. id quod antea nullius precibus adduci potuerat ut faceret. hanc inſperatam hominis mutationẽ cũ admirarentur ſerui, & cauſam quærerent, his ille uerbis uſus eſt, nunc quia mortuus eſt infans, quare ieiuno? nũquid potero reuocare eũ amplius? ego uadã magis ad eum, ille uero non reuertetur ad me. & conſolatus eſt Dauid uxorẽ ſuam. id uelim tu quoq;, mi frater, plane facias. ꝙ ſi minus potes tanti uiri uirtutẽ ac fortitudinẽ cõſequi, illud certe elabora & effice, quod uidemus pleroſq; eorũ qui Chriſti fidem non ficte profitentur, præſtare, qui, tam & ſi non poſsint, naturæ cõmunis fragilitate ſuperati, ſuorũ mortẽ non dolere, tamen non contriſtantur, ſicut ceteri, qui ſpẽ non habent. contriſtemur ergo nos, ut Diuus ait Auguſtinus, in noſtrorũ mortibus neceſsitate amittẽdi, ſed cũ ſpe recipiendi. inde angamur, hinc cõſolemur; inde infirmitas afficiat, hinc fides reficiat; inde doleat humana conditio, hinc ſanet diuina promiſsio. ſi igitur hactenus pij parẽtis munere functus es, noli iam ꝑtermittere, quin ueri pariter, & fidelis Chriſtiani officio ſatisfacias, nec animo ita iniquo ꝓſentem calamitatẽ feras, ut nimia deiectione. diuinã iram ad maiores etiã inferẽdas prouoces. Tecũ ipſe reputa, quot iam patres unicos filios amiſerint, & tamen Dei ope, auxilioq; fulti patienter caſum tã grauẽ ſuſtinuerint. tibi autẽ duo adhuc reliqui ſunt mares filij, hiq; Dei munere, tali indole ꝓditi, ut ſperare facile poſsis, eos tibi, eodẽ adiuuante, magno ornamento, atq; ſubſidio ſemper futuros. hoc libuit attingere, ꝙ putem, non mediocri id quidẽ tibi leuationi eſſe debere. patris nempe felicitas nõ tã uidetur in eo poſita eſſe, ut multos habeat filios, ꝙ̃ ut hi, quoſcunq; habet, probi ſint & uirtutibus ornati. nihil eſt igitur cur de illo ſoliciti ſimus, quẽ præſertim ſciamus in portũ ſalutis perueniſſe. ſed debemus omnẽ noſtram curam & cogitationẽ ad hos conuertere, Deum rogantes, ut longã eis, ſi ita expedierit, uitam & bonam largiatur, quo poſsint, ipſi quidẽ glorię, & honori, nobis uero decori & cõmodo eſſe. Hęc habui, quæ ad te, mi frater, hoc tempore ſcriberem, non modo, ut tuũ, uxoriſq; tuæ, ſanctiſsimæ fœminæ & mihi chariſsimæ, dolo-

rem ex aliqua parte leuarē, ſed etiā ut me ipſum fulcirē & cōfirmarem. nolite enim putare, animo eſſe me adeo forti, ut conſolatione nihil indigeam. ſed triſtes de una re, magis ſe portant, & quaſi incūbunt ſibi. omnes igitur unà nos conſolemur in Chriſto Ieſu, qui pater eſt miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. Vale. Romæ vj. Id. Sept. M D LXVIII.

Alexandro fratri.

QVOD, ſumma amplißimi patroni ac domini tui uoluntate, in patriā te eo animo receperis, ut reliquæ uitæ tempus, ſi ita Deo placuerit, cū tuis traducas, non poſſum nō magnopere probare, quippe qui nihil ferè ſoleam æque mirari, atque eorū hominum ſiue ambitionem, occultam animi peſtē, ſiue auaritiam, ſiue amētiam, qui quidē animum inducant in aulis principum totas ætates conterere. Tu uero, mi frater, multo ſapiētius, qui, poſtquàm operam & ſtudium tuū principibus uiris multos annos fideliter ac diligenter nauaſti, tandē ſtatueris, multam ſalutē aulis dicere, &, fallaces hominum pollicitationes dimittens, omnē ſpem in eo fixeris atq; locaueris, à quo certe potes cumulatiſsimā omniū præteritorum quoq; laborum tuorum mercedē expectare. quare neminē fore arbitror, quin hoc tuū cōſilium approbet, præſertim ſi ocio te, omniū malorum parenti, nequaquam tradideris; ſed & fratri, iſtic q̃ diu fueris, in re familiari adminiſtranda, & cæteris noſtris quibuſcunq; in rebus poteris, opem & auxilium tuleris. qđ ut faceres, pluribus te uerbis hortarer niſi uiderer mihi animaduertiſſe, te quidē, ſapientiſsimum illud ſapientis monitum ſequutum, Non oderis laborioſa opera & ruſticationē creatam ab altiſsimo, laborē ſemper adamaſſe, & quantumcunq; tēporis à reliquis negocijs ſupereſſet, totū uel in agricultura, uel in architectura, honeſtiſsimis nimirū artibus, ſimul & utiliſsimis, nō mediocri cum laude poſuiſſe. cum igitur illud te ꝑ te ipſum libentiſsime, ſtudioſiſsimeq; facturum cōfidam, nō tam cauſam eſſe uideo, cur te ad id præſtandum impellam, quàm quòd tum Syluio fratri, tum alijs propinquis & affinibus noſtris de tuo ad eos reditu, ut facio, gratuler. Vale. Romæ. Calendis Februarij. M D LXIX.

Epiſtola

EPISTOLA DE REBVS INDICIS

à quodam ſocietatis Ieſu Presbytero Italice ſcripta, & nunc primum in Latinum conuerſa à Iulio Gabrielio Eugubino.



ITERAS ad te, Reuerende Pater, anno M D LVIII. extremo mẽſe Maio, miſi de omnibus rebus, quæ pertinebant uel ad inſtitutũ, quod tenent noſtri in ſuo munere exequendo, uel ad rationes Indorũ, qui ad Chriſti fidem ſe cõuertunt. ex ea autẽ die nullã ad uos ſcribendi occaſionẽ nacti ſumus; nec enim ulla omnino nauis aut huc acceſsit, aut hinc diſceſsit, cuius opportunitate id p̄ſtare potuerimus. Quamobrem miſeratione potius, q̃ reprehenſione digni eſſe uidemur, p̄ſertim cũ à noſtris fratribus tam diu nihil litterarum acceperimus, in tantamq; ſimus rerũ difficultatẽ adducti, ut iam aliquot dies ne uinũ quidẽ, quod iſtinc aduehi neceſſe eſt ad rẽ diuinam faciendam ſuppetat. Nunc igitur, iuuante Deo, omnia perſcribã, quæcunq; poſt illud tẽpus acciderunt, ſi id prius dixero, magna nos lætitia eſſe affectos ex litteris, quas mõ accepimus, ac p̄cipue ex tuis, in quibus apertiſsime demõſtras & paternũ amorẽ, quo nos complecteris, & ſummã curã, quã de nobis ſuſcipis, quando non ſolum ipſe tuis nos pijs ſacrificijs & precationibus Deo aſsidue commendas, ſed etiã curas, ut idẽ faciant omnes noſtri iſtius regionis fratres. quod quidẽ quantũ adiumenti nobis afferat, nemo eſt, qui nõ uideat: neque enim profecto fieri ullo modo potuiſſet, ut tam diu, tamq; tolerãter ferremus tantam horũ, quos inſtituimus, Braxillorũ animi duritiã, & pertinaciã, tantã uerbi Dei incuriã, tantã in bonis acquiſitis moribus retinendis difficultatem, & procliuitatẽ redeundi ad malos, ac deteſtabiles, quos à maioribus ſuis acceperunt, tantã deniq; propriæ ſalutis negligentiã, atq; adeo contemptionẽ, niſi aſsiduæ nos totius ſocietatis preces ſuſtentaſſent, & à Deo patientiæ nobis, magnanimitatiſq; uirtutẽ impetraſſent. Quod cũ ita ſit, potes facile conijcere, nõ multa eſſe digna, q̃ ſcribantur de Braxillis, qui ſe ad Chriſti religionẽ cõferant, ſi quidẽ adulti atq; impijs parentũ moribus imbuti, aures plane auertunt ab his, q̃ ad ipſorũ ſalutẽ, & ad uerũ Dei cultũ ſuſcipiendũ conducunt & quanquã nos

quidem

quidẽ nunquã desistimus,eos ad Christi fidẽ hortari,atq; impellere, tñ,si qñ periculose ægrotãt,tũ uero uehementius contendimus,ut uelint ad sacrũ baptismatis fontem accedere: Omnino em̃ uident ur eo tpe aures nobis faciliores pbere.sed heu miseros, quotus quisq; est, q hanc agnoscat misericordiã?duo tria vẽ proferã huius rei exẽpla, vñ possit de cæteris cõiectura fieri.Vnus de Catechuminis quodam in oppido nõ lõge à Piratiningia in morbũ incidit: nos illuc accessimus,ut aliquod ei remedium,animæ psertim salutare adhiberemus. hominẽ adiuimus,alloquuti sumus,quanto in discrimine ipsius anima uersaretur ostẽdẽtes,& cohortãtes,ut uitæ rationẽ mutaret,atq; ita dignũ se pberet sancti batismatis munere.responsum ab eo tulimus hoc unũ pmitteremus,ut prius cõualesceret. Hic nos Christi fidem articulatim exponere,legis pcepta explicare,simul et in memoriã redigere,quoties eadẽ à nobis audisset,ac didicisset. Tandẽ post multas cõtentiones fastidiũ pseferens,& stomachum,dixit,nequire se ea,q à nobis dicerentur,exaudire,qp obstructæ aures, & obturatæ essent:quod tñ nõ ita erat,immo uero ad alia omnia,hoc excepto, promptissime respondebat, ut aperte indicaret, obtusiores se adeo mentis,q corporis aures habere. Alius alio in loco ægrotare cœpit, qui sæpius antea à nobis monitus,atq; edoctus,distulerat bonæ ualetudinis causa ea,q proponebantur, exequi,sed cum ingrauesceret morbus,ut iã mors misero instaret,ego eũ inuisi,comiter, blandeq; admonui de suo maximo periculo, deniq; ad suscipiendũ baptisma cohortatus sum.At homo infelix irascens, & stomachãs,interruptis uocibus,q uix perciperẽtur,clamare, desinerẽ ei molestiã exhibere, sibi enim recte esse. Nec ego propterea causam deserui,quã tñ iam alij ex nostris fratribus frustra susceperant,immo eo acrius urgebã, quò magis animaduerterã Diabolũ in ipsius anima dominari, &,cũ uiderer post magnã luctationẽ hominẽ flexisse, nihil ergo,inquam, causæ est,quin te baptizẽ,ut possis æternã salutẽ consequi.Ille uero non solũ nõ est assensus, sed capite inuoluto,me ipsum à se repulit, nec ullũ uerbũ amplius effatus est. Itaq; miser in pertinacia perseuerans sua,postridie moritur,sempiternã mortẽ obiturus.Mitto complures alios,ne longiorẽ epistolã faciã,neve huiusmodi exẽplis afferendis angã te potius,q delectẽ.De his igitur iam dicere aggrediar, quos clemens,& misericors Deus ex innumerabili multitudine barbararũ gentiũ,q fere sub immani Diaboli tyrannide pereunt,ad sua ue iugu, maternumq; suæ sanctæ Ecclesiæ gremiũ perductos libera-

uit, ac demũ in cælo, ut est credendũ, immortali gloria exornauit. At
que ut intelligas, esse causam, cur læteris, Deoq; gratias agas, scito,
in his nõ minorẽ ferme esse numerũ eorũ, qui ętate iã firmata, q̃ qui
adhuc pueri emorientes à nostris baptizati decedunt. Erat iã pridẽ
æger in oppido, ꝓcul à Piratiningia quinq; mille passus uir q̃dã Chri
sti fidẽ iandudũ professus, & legitimã habens uxorẽ; hunc nos cũ ui-
sissemus, uisus est nostro aduentu ualde leuari, atq; lætari, & quidẽ
peccata cũ summa animi ęgritudine, multisq; lacrymis cõfessus est.
Sed cũ post nostrũ discessum maleficus nescio q̃s ex cõtinẽti ad eũ
uenisset, homo partim leuitate, partim cupiditate adductus, ꝑmisit
se ab eo illarũ gentiũ mõ, ac ritu ꝑfricari, & sugi. Cum autẽ nihil ei
ꝓpterea melius esset factũ, erratũ agnoscens suũ, ad nos se contulit,
tũ ut peccata cõfiteretur, tũ ẽt ut ꝓpe ædẽ nostrã habitaret, quò cõ-
modius posset nobiscũ colloquẽdo, & de peccatis sępe confitendo,
cõscientiæ labes eluere. à nobis igitur diligẽter curatus, paucos post
dies, cũ paulo melius se haberet, domũ rediit, atq; illic in morbũ de
integro incidit insanabilẽ. quod ipse ꝑcipiens, Piratiningiã se depor
tauit, ut ibi apud nos supremũ diẽ ageret. & uero qđ reliquũ fuit ui
tæ, in ocio haudquaquã degit, sed nostrorũ fratrũ monitis, & consi
lijs adiutus, toto pectore incubuit in eã curã, uti se ad iter illud, qđ
omnibus mortalibus ineundũ est, cõpararet. Cũ igitur ex hominũ ui
ta sibi iã, iamq; demigrãdũ intelligeret, accersitis nostris fratribus,
quos ẽt sacerdos unà cũ interprete sequutus est, iubet eos assidere: si
bi eñ statutũ esse, donec spiritũ duceret, & mẽte cõstaret, animæ sa
luti ꝓspicere: rogat, ut uelint eũ, mortuus cũ fuerit, Deo cõmenda
re, corpusq; in æde sacra sepelire, simul & illud addit, uelle se ipsius
uxorẽ, ac liberos ea in Vrbe apud nos ꝑpetuo cõmorari, ut ad Chri-
stianorũ instituta, moresq; erudirẽtur, & instituerẽtur. Hęc atq; alia
huiusmodi religionis, pietatisq; plena cũ dixisset, paulo post ad me-
liorẽ uitã, ut speramus, fruẽdã migrauit. Mulier porro q̃dã catechu
mena, q̃ iã bienniũ febri laborabat, Piratiningiã à suis ꝓpinquis, ip-
sa postulãte, deportata est, ut à nostris curaretur. Nos uero quanquã
nihil p̃termisimus eorũ, q̃ uiderẽtur ad corporis ualetudinẽ ꝑtinere,
tñ qm̃ ea febris erat curatu difficillima, & totũ iã corpus occupaue-
rat, animæ saluti potissimũ studuimus, mulierẽ ad alterius uitæ desi
deriũ incitãtes, multis, uarijsq; sermonibus ad hanc rẽ accõmodatis:
quos q̃dẽ illa libẽter audiebat, ac toto animo cõplectebatur, sacro
ut baptismate elueretur, magnopere postulans. aliquot post dies in

quoddã ꝓpinquũ oppidulũ perrexit, ut ibi ſororis opera, ac ſeduli-tate aleretur, atq; ẽt illic eã nos, curãtes id ipſi prius ſignificandũ, ſæpius inuiſimus. Cũ igitur in ſua recta uolũtate, ac ſentẽtia cõſtaret, accidit poſt longinquitatẽ grauiſsimi morbi, ut dimidiatũ ferme diẽ exanimata maneret. ad ueſperã uero quaſi arctiore quodam ſomno ſoluta, cũ ad ſe rediſſet, iubet quoſdã pueros, q̃ pſentes aderant, nos feſtinãter accerſire. accurrimus ſine mora. eò aũt poſt ſolis occaſum cũ ꝑueniſſemus, animã efflãtẽ inuenimus; cibũ ſtatim adhibuimus, tũ hortati ſumus, ut ſe ſe ad baptiſmũ ſuſcipiendũ pararet. paratiſsimã ſe eſſe, reſpõdit, nec aliud q̃cquã magis cupere. Nos igitur eam, abiecta omni cunctatione, Piratiningiã multa nocte deferẽdã curauimus, cũ ipſius frater, & alter, q̃ eã delaturi erãt, ut res in poſterum diẽ differretur, ſuaderẽt, illuc uero allatã primũ (id qđ ſæpe iã antea feceramus) de his, q̃ ad fidẽ Chriſti ſpectant, accuratius erudiuimus; deinde baptizauimus. Eodẽ puncto tẽporis uiſus eſt eius uultus cõmutari, & nouo quodã colore, hilaritateq; perfundi. & q̃ prius æſtu, & ui morbi iactata, nec cõſiſtẽdi locũ reperiret, nec partẽ ullã caperet quietis, cœpit cõtinuo conquieſcere, itaq; ſenſim duabus, tribus ve poſt horis Angeli quodãmodo ſpeciẽ pſeferens, ad perennẽ uitã euolauit. Nõ ita multos poſt dies duæ ipſius Sorores in morbũ delapſæ ſunt ſane grauẽ: quarũ uni, q̃ Chriſti religionẽ iã ꝓfeſſa, & nupta Piratiningiæ degebat, ſanguinẽ ego ſemel atq; iterũ cũ miſiſsẽ, melius eſt factũ. Altera, q̃ in Cathecumenis adhuc numerabatur, & alio in loco habitabat, rerũ illa q̃dẽ ad Chriſti fidẽ ꝑtinẽtium bene perita, & naturali quadã ꝓbitate lõge cæteris ſuperior, quatuor iã quinque ve dies ęgrotauerat, cũ ſuæ nos ualetudinis certiores fecit. adiuimus, ſanguinẽ miſimus, atq; eodẽ tꝑe ad omnia Chriſtianę legis munera inſtruximus. Viſa eſt tunc q̃dẽ releuari; ſed aliquot poſt dies cũ morbo grauius affligeretur, rurſus me accerſendũ curauit, ut iterũ ei ſanguinis aliquãtũ mitterẽ. & quãuis ego illuc uenire ꝓperaſſem, eã tñ ſenſu iã, ac motu carentẽ, & caloris uſquequaq; expertẽ offendi, ut mortuã diceres. Veruntamẽ aqua ipſius faciẽ ut aſperſi, cœpit reuiuiſcere, & oculos erigere, ac tãdẽ ad ſe redijt. Hic ego q̃ſiui, uellet ne baptiſmum ſibi adhiberi, annuit, baptizaui. Poſt hæc aũt duas horas cũ uixiſſet, sãctiſsimũ Chriſti nomẽ idẽtidẽ appellãs, ſanctãq; fidẽ Catholicã cõtinua cõfeſsione cõprobãs, ſpiritũ Creatori reddidit, ꝑ exigua, breuiſsimaq; moleſtia immẽſæ, ac ꝑpetuę q̃etis pmiũ acceptura. Hanc uero aliquot poſt mẽſes ſequuta eſt ipſius ſoror, cui

antea melius esse factũ, dixeramus, & q̃dẽ in fide Christi admodum
firma, ac stabilis, Ecclesiæq; sacramentis sæpius repetitis. Vnum tm̃
exẽplum adhuc ponã, ne singulis enarrandis, faciã longius. Vita du-
dum excessit anus q̃dam Inda, q̃ annos ferè xl. Lusitani cuiusdam cõ-
cubina fuerat, pluresq; ex eo liberos ꝓcreauerat. Hæc sane à nr̃is fra-
tribus abhinc nouem annis monita, ut se colligeret, ac pœnitẽs, è de
terrimo illo uitæ statu decederet, ꝓpositis ẽt ei grauissimis Dei iu-
dicijs, & acerbissimis inferorũ pœnis, resipiscens, ac miseriam agno
scens suam, q̃ tot annos Dei maiestatẽ læsisset, ad Christum conuer-
sa, cœpit uitã castissimam degere, summe enitens, ut lacrymis, ango
ribus, atq; eleemosinis suorum scelerũ maculas aliqua ex parte dele
ret, & abstergeret, pœnasq; q̃ eis deberentur, lueret. Proxime aũt cũ
morbo graui, & mortifero, Dei ꝑmissu, urgeretur, Piratiningiam ue
nit, atq; ibi domo ad filiorũ, seruorumq; usum ædificata, nihil ipsa
q̃dem aliud curabat, nisi ut aĩæ saluti prospiceret, nimirum peccata
crebro confitebatur, consecratã hostiã sæpe sumebat, ac multis pecu
nijs in pauperes assidue erogandis æternã sibi in cœlo sedem cõpa-
rabat. frequẽtes q̃dẽ eam nr̃i fratres uisebãt, pijsq;, & religiosis ser
monibus leuabant, & consolabantur, idq; tũc maxime, cũ demũ cor
ruptis, & penitus putrescẽtibus mẽbris obscænis (hoc morbi genere
afficiebatur, omnibus sane Braxillanis hisce mulieribus cõmuni, ẽt
Virginibus) odorẽ ex se adeo tetrũ efferebat, ut à suis quoq; destitue
retur. eo ipso tẽpore nr̃i, Christianæ charitatis non immemores, stu
diosius ei, & amantius operam nauabant. Nam Pater Alphonsus Bla
sius, & frater Gaspar Laurentius interpres mente potius odorem
contemplantes, quem ipsius anima in conspectu Dei propediem
erat emissura, quàm corporis fœtorem attendentes paulisper Deo
approbante quo clarius fieret, maioremq; gloriã mereretur, uexati
intolerabilem fœditatẽ odoris, qui sensui se obijciebat, facile supe-
rabant, nec unq̃ ab ipsius latere discedentes noctesq; tota peruigilã
tes, ægrã sustentabant, & sanctissimis uerbis, quibus quidẽ illa mirifi
ce delectabatur, assidue recreabant, quoad animã creatori reddidit,
exitu, queadmodũ sperandum est, felicissimo. Possem equidem mul
tos alios ꝓferre seruos præsertim, quorum partim ut baptismũ su-
sceperunt, statim moriuntur, partim Christianos se iã diu professi,
sumptis sacramentis, ex hac uita migrant. Proinde nos nusquã fere
cõsistentes diuersa Castella tum harum ipsarũ gentiũ, tum ẽt Lusita-
norũ obimus. nulla ui frigorum, aut calorum, nullis imbribus, nulla
fluminum

fluminũ proluuie retardati, ac sæpe de nocte iter facientes ꝑ densissima nemora, & maxime horribilia. atq; ita afflictis ægrotis subuenimus nõ sine magno labore, & incõmodo tũ ob asperitatẽ difficultateq; uiarũ, tũ ꝓp magnas, ac turbulentas tẽpestates, ꝑsertim cũ uici sint tã multi, & tã lõge alter ab altero disiuncti, ut ne multo q̃dẽ plures possent, tot, tãtisq; difficultatibus, q̃ quotidie existunt, occurrere atq; obsistere, ne dũ nos possimus. Accedit ꝙ nos ipsi, q̃ alienis malis opẽ ferimus, aliorũ sæpe auxilio in primis egemus: multis.n. molestijs, & magnis incõmodis affecti, ac rebus necessarijs destituti, in uarios morbos incidimus, & in uijs usq; adeo interdũ deficimus, ut uix itinera cõficiamus. itaq; nõ minore uidẽtur ipsi medici, q̃ ægroti, leuatione indigere. Veruntñ nihil planè arduũ est, aut difficile his q̃bus in oĩ uita hoc unũ ꝓpositũ est, ut Dei gloriã, atq; honorẽ quærant; & aĩarũ saluti cõsulãt, ꝓ quibus certe nõ dubitauerint uel ipm sanguinẽ, ac uitã ꝓfundere. Porro aũt somnũ identidẽ interrumpimus, mõ ægrorũ cã, quibus mors imminet, experrecti, mõ ut mulieribus parturientibus succurramus; q̃bus quidẽ simul atq; Diuorũ, quas hẽmus, reliq̃as ĩpo suimus, facillime pariunt. cuius ipsæ rei non ignaræ, cũ primũ cœperint doloribus tentari, iubent nos accersi, ut illas afferamus, atq; ipsis, peccata prius utiq; cõfessis, admoueamus. Accidit uero sæpe, ut pueri, semiuiui in lucẽ suscepti, baptizẽtur, atque ita in cœlũ ascẽdant. q̃d itẽ officiũ erga eos adhibetur, quos matres nondũ expletis ad pariendũ mensibus edunt, id quod sæpissime hic quidẽ euenit malitia potius, q̃ casu. Braxillanæ.n. mulieres nulla graui de cã facile adducuntur, offensiuncula mõ à Viris accepta, uel metu iniecto, uel aliqua alia q̃uis leui occasione data, ut filios, quos aluo cõtinent, interimant, aut partũ sibi ipsi medicamẽtis abigẽdo, aut uentrẽ nimis cõstringẽdo, aut grauius aliq̃d onus ferẽdo, & multis deniq; alijs similibus modis, quos eis inaudita q̃dã feritas, & ĩmanitas suggerit. Libens aliq̃tũ cõmoratus sum in mortuorũ memoria repetenda, tũ ꝙ recordor, illũ uerũ, & ꝑfectũ uocari, q̃ usq; ad finem ꝑmanet, tũ ẽt q̃a de uiuis, etsi argumentũ minime deest, timidius loquor; tãta.n. in eis dispicitur incõstantia, ut, quẽadmodũ dici solet, aliud mane, aliud uesperi in aĩo hẽant, nec satis q̃squã sciat, q̃d possit de illis polliceri. Beati igitur mortui, q̃ in Dño moriuntur, nẽpe hi ab immensis huius turbulenti maris, q̃d uitę nomen hẽt, ꝓcellis liberati, Christi fide arrepta, atq; exhaustis Dei mãdatis, in portũ uerę uitæ, arctissimis mortis uinculis prorsus soluti, ꝑuenerunt, quorũ

sanè finis sanctus,& felix tãtæ nobis cõsolationi est,ut uideatur magna ex parte doloris acerbitatẽ leuare, quẽ q̃dẽ maximũ accipimus ex uiuorũ p̃sidia,& malitia.neq; tñ nõ plurimum operæ, & studij in illis instituẽdis,ac docendis ponimus,sermonibus cõs tũ publicis,tũ priuatis cohortãtes,ut traditã sibi uitæ rõnem cõstanter teneãt.cõplures hìc q̃dẽ dñicis q̃busq; diebus peccata cõfitentur sua,& Christi corpus sumunt,quin ẽt ex propinquis locis huc cõueniunt,ut Missæ sacrificio intersint,& delicta cõfiteantur,eo maxime tp̃e,cum ad bellũ egrediuntur.næ illi ualde reuerentur,& colunt tũ cætera sacramenta,tum p̃cipue confessionẽ,usq; adeo ut sæpe ægroti oĩ mihi asseruatione affirment,se simul atq; peccata cõfessi fuerint,dolore,& molestia morbi releuari. Quare exploratũ est,fore,ut ex his hoĩbus nisi disp̃si alius alio in loco habitarent,uberiores,q̃ nunc, fructus ac certiores p̃ciperẽtur:possent.n.tunc q̃dẽ oẽs simul institui, liceretq; nobis maiore diligẽtia,& assiduitate,minoreq; itẽ incõmodo aĩarũ saluti p̃uidere, queãdmodũ in Baia hodie fit . ubi Præsidis iussu q̃dã in oppida satis magna cõgregati,aĩo gaudenti, ac libenti arripiunt Christianæ religionis initia,multũq; in ijs p̃ficiunt . cũ aũt p̃cipuus aliquis dies festus est agendus,p̃sertim is,quo Christus natus,quove passus est , ex oĩbus finitimis locis fere uniuersi multis ante diebus Piratiningiã cõfluunt, ut diuinis officijs,& supplicationibus adsint: in q̃bus ita acriter cædunt se ipsos,ut sanguinẽ ẽt profundant,locis multo ante ad id studiose cõquisitis.neq; uero nõ alijs quoq; tp̃ibus idẽ faciunt,si q̃n supplicationes,necessitate aliqua flagitante,decernuntur. Tenebrarũ offĩn nr̃o quidem in templo sine cantu celebramus,atq; in extrema eius parte nos ipsos tãto tp̃is spatio cædimus, q̃to possis ter p̃nuntiare Psalmum, Miserere. Iá uero conciones de Christi passione p̃pria ipsorum lingua habentur, & quidẽ non sine pio auditorum dolore,& iustis lacrymis: quas itẽ uel plurimas effundunt,dum Sacerdoti peccata cõfitentur,& sanctissimũ Christi corpus accipiunt. Summa p̃terea datur op̃a à nobis,ut illos rectam præcãdi rõnem doceamus,simul, & coronas eis largimur,quò sæpius angelicã salutationẽ dictitantes, Mariã Virginem p̃cipue colant,& uenerentur. Indi igitur,ne ab ordine p̃posito lõgius discedamus,in doctrina nr̃æ fidei multum proficiunt,& eorũ cathecumenorum loco, q̃ Piratiningia discesserunt,alij alijs ex locis cõuenere,eo certe aĩo, ut Christianam uitã agant,sedesq; ibi omniũ rerũ,& fortunarũ suarum collocent ; & idcirco domos sibi extruxerunt.ad quã quidẽ rem

non

non parũ eos adiuuit opera ſua Pater Alphonſus Blaſius. Nempe in multis,& maxime in mulieribus tũ liberis,tũ ancillis ꝑſpicua admodum apparent uirtutis indicia,ꝑſertim deteſtando,abhorrendoq; libidinis uitio,qđ cum ſit cõis omnium mortaliũ pernicies,tum in primis uř in iſtas gentes non mõ imperium tenuiſſe,ſed crudelem, immanemq; tyrannidem exercuiſſe;quo ẽt maiore adminiſtratione,ac laude dignæ ſunt crebræ,uel potius quotidianæ uictoriæ, quas inde conſequuntur.Nã ancillæ ipſæ malunt profecto Dominorũ inſatiabilem crudelitatem experiri,mõ uerbera,mõ colaphos,mõ pugnos perferentes,q̃ in offenſionem Dei cadere,turpi eorum, & effrenatæ cupiditati obtemperantes.Videre licet alias munera à petulantibus Iuuenibus oblata reijcere,& aſpernari; alias ab illis,q̃ui ipſis tẽtãt pudicitiã eripere, acriter ſe defendere nõ ſolũ uoluntate obſiſtẽdo, ſed ẽt clamoribus,manibus,dentibus homines fugando, & cõterrẽdo.Iã uero una ab impudico iuuene appetita,& interrogata, cuiuſnam ancilla eſſet,Dei ſe eſſe reſpondit.Deus,inquit,meus eſt dñs, ſi q̃d à me expetis, cũ eo tibi prius agendũ eſt.quo q̃dem reſponſo ardens iuuenis libido repreſſa eſt, atq; reſtincta;remq; poſtea ſuis ipſe ſocijs magna cũ admiratione narrabat.Aliæ aliquando ex urbe, iubente dño,ad operas exibant;has impudentiſsimus adoleſcens inſequutus,cũ uni conaretur uim inferre,ſociæ mutuo ſe incitantes, incredibili celeritate ad uim repellendã accurrerunt;q̃dẽ tanta ſe animi magnitudine,ac robore ſunt tutatæ,ut ẽt iuuenem importuniſsimum reiecerint,cœnoq; ac puluere totũ fœdauerint.in quo ipſo poterat miſer,ſi q̃d iudicij ei reliquũ erat,facile cõſiderare, quanta tandẽ eſſet facinoris, quod moliebatur,fœditas,& turpitudo. Poſſem equidẽ his plura addere exẽpla,q̃ quotidie eueniunt, uñ liceret aperte ꝑſpicere,quantũ apud multos, Deo iuuante,ualeant aſsiduæ noſtrorũ fratrũ cohortationes:ſed mihi perſuadeo ea,q̃ poſuimus, ſatis eſſe ad probandũ,quantã uim rerũ optimarum Dei uerbum contineat, qm̃ quidẽ põt ex duriſsimis ſaxis uberrimos aquæ riuos educere,q̃ ipſos angelos,reliquosq; beatiſsimos cęleſtis patriæ ciues mirum in modũ lætificent.In illis igitur Chriſtiana doctrina erudiẽdis plurimũ operæ,ac diligentiæ conſumimus tũ alibi, tũ Piratiningiæ. ubi ſane ꝑter cõe inſtitutum,quo utũtur, Templi bis ſingulis diebus adeundi,multi ẽt nocte domum noſtrã conueniunt, tintinnabulo acciti,ut ſeparatim doceantur.quã conſuetudinem hìc ẽt cum Luſitanis ſeruamus:quorum certe uxores, ſerui,& ancillæ toto pectore ad

ea ſtudia

ea studia incumbunt, q̃ aiæ utilitas sunt ac salutaria. Cõplures dominicis quibusq; diebus peccata cõfitentur, Eucharistiã sumunt, sacris concionibus, diuinisq; precationibus intersunt. Huic aũt rei cũ cœteri fratres, q̃bus id negocij datũ est, multũ industriæ, ac laboris impertiunt, tũ uero in primis Pater Aloysius Granius ardenti aĩo, atq; inuicto enititur, ut quacunq; põt rõne animorum incolumitati prospiciat, dũ saluberrimum eis uerbi Dei panẽ, quem quidẽ nunquam non uidentur auide appetere, ter, quaterq; & quinquies unoquoque die distribuit. q̃ si qñ cõtingit ut duo soli, aut tres in templo sint, nõ minore animi alacritate hos ipsos edocet, q̃ si populus frequentissimus adesset. Illud quoq; maxime ei curæ est, ut ęgros inuisat, modo hos, mõ illos hortetur, atq; confirmet: neq; uero non assiduus eos audit, q̃ uolunt peccata confiteri. cum aũt superioribus diebus post solis occasum uentus cũ imbre, & grãdine excitatus esset ita uehemẽs, ut ædes concuteret, euerteret, ac disijceret, arboresq; q̃plurimas in nemoribus euelleret, iubet ille q̃dem reliquos fratres ad Deum p̃cãdum, ut facere sunt soliti, conuenire, ipse interim cũ fratre Emanuele Clauio interprete foras egreditur, singulas fere domos cõcursat, inspicit unumquemq;, ut, si q̃d mali eis accidisset ex ædium ruina, posset tũ corporibus, tũ animabus p̃sentẽ adhibere medicinã. cumq; oẽs in tẽplum, tãquã tutiorẽ in locũ, coegisset, hortatus est cunctos, ut p̃cibus Dei auxiliũ implorarent: senes uero nõ nullos, ægrotosq; ac pueros, nr̃is in ædibus usq; in posterũ diẽ detinuit. Ad summã ita se gessit tali in tpe, ut cõmodius prudẽtius vè fieri nihil posset. Itaq; merito ab uniuersis tũ Lusitanis, tũ Indis pluris fit, & p̃ris in loco ducitur. Sed qñ penitus ingressus sum ad explicãdã rõnem harum gentium instituendarum, non erit absurdum, aliqua ẽt percurrere eorũ, q̃ acciderunt in ipsorũ bellis, ut ĩtelligas, ibi quoq;, tametsi oẽs suas cogitationes in armorũ exitu fixerint, aliquid tñ posse apud eas doctrinã, ac uirtutẽ Christianę institutionis. Nã superioribus diebus uiro quodã capto, cũ multos ibi fecissent captiuos, decreuerunt eorũ unũ in oppidulo, Piratiningiæ finitimo, cantibus, sicut ipsorũ fert cõsuetudo, potationibusq;, & bacchationibus mactare. Id simul ut cognouit Pater Aloysius Granius, statim illuc ꝓfectus est, ut detestabili huic ꝓposito occurreret, uehemẽter eos ẽt atq; ẽt rogauit, ne uellent prorsus facinus cõmittere adeò tetrum. cui postulationi libẽter illi q̃dẽ concesserunt, affirmantes, nunq̃ se permissuros, ut locus, in quo tanta Christianorũ esset multitudo, innocenti sanguine pollueretur.

lueretur. Sed q̃uis hi, qui erãt baptizati, negaſsẽt, id factũ iri, ipſe tñ captiui dn̄s, à Chriſti uidelicet fide auerſus, eò ſe cũ cõtuliſſet, partim uoluntate ductus ſua, ut huiuſmodi ludis, ac triũpho tã uili frueretur, partim ẽt ueneficarum quarundã anuum cõſilio, atq; impulſu incitatus, conſtituit eũ occidere, ſuamq; familiã præclaro hoc trophæo locupletare. qđ cũ audiuiſſemus, nullã moram interponendã putauimus, q̃n aliud agere ſimulantes, ne eũ ſuo more occultarent, illuc iremus, hoc certe cõſilio, ut eum ſacro baptiſmate ablutum ad æternam dirigeremus felicitatẽ. Puer erat duorũ triumve annorũ, forma, & ſpecie ſatis pulchra. Hunc igitur in medium adductũ baptizauimus, & quanquã ualde dolebamus, ꝙ puerulus innocens per ſummã immanitatẽ periturus eſſet, quòdq; illius ſanguine multi ſe eſſent inquinaturi, ẽt ex his, q̃ fidem Chriſti iam fuerant profeſsi, tñ non mediocriter lætabamur, dũ conſiderabamus, animã illam puriſſimã in poſſeſſionẽ ſempiternorũ bonorum confeſtim uenturã eſſe, id cum feciſſemus, intelligentes, rẽ eſſe in tuto, ꝙ ſcilicet nihil iã uerendũ eſſet, ne eum cælarent, cœpimus multis audiẽtibus atrox illud facinus grauiter uituperare, paruũ accuſantes, & abiectũ ipſorũ animum, qui uellent, infantis pueri cæde hoſtiũ iniurias ac ſuorũ mortem ulciſci, ſimul & diuini iudicij, ac propriæ mortis periculũ intendentes, ſi animũ induxiſſent, carnes illas, ſacro iã baptiſmate elutas, atq; expiatas, edere. Poſt hęc diſceſsimus. At illi paucos poſt dies nobis abſentibus, ſtatis, ſolẽnibusq; cerimonijs infantẽ mactauerunt, à comedẽdo certe abſtinuere. Eſt uero, ut mirandũ ſit, ſimulq; Deo gratiæ agendæ, ꝙ humana carne, ut cõſueuerant, amplius nõueſcantur neq; huius, neq; aliorũ uicinorũ locorũ incolæ, q̃ q̃dẽ nr̄am diſciplinã aliq̃diu ſint ſequuti: atq; ẽt nunc uerbi Dei audiendi gratia ad nos adeant: idq; eo magis, ꝙ liberi ſunt à Chriſtianorũ imperio, nec ullo eorũ metu afficiuntur. Nõ prætermittã alterũ eiuſdem rõnis exẽplũ, ex quo quidẽ poſsis haud minorẽ piæ iucunditatis fructũ percipere. Nup cũ ijdẽ aliũ aliò captiuum ducerent, ut eum more ſuo ĩmolarent, & comederent, nocte Piratiningię cõſtiterunt. hìc uero nr̄i fratres accurrere ad arcẽ illius aĩæ, q̃ à Diabolo iãpridẽ occupabat, uerbo Dei expugnandã: & q̃dẽ primo impetu inferna beſtia ꝑculſa, atq; eiecta, facilẽ ille ſe ꝓbuit, atq; adeo prõptũ ad nr̄am ſanctã fidẽ ſuſcipiendã. erat certe adoleſcens, q̃tũ iudicare poteramus, annos natus ferè quindecim, & ſumma ingenij indole ꝓditus, nimiũ tãta animi alacritate, tantoq; mentis ardore rn̄debat ad ea, q̃ in-

terrogabatur de rebus ad uerũ cultum ꝑtinentibus, ut uideretur eã-
dẽ iandudum didiciſſe. A noſtris igitur fratribus accurate inſtructus,
atq; ẽt cõmonitus, ut aĩo uere Chriſtiano iniurias perferret, quas ei
impoſituri erant ſui inimici, poſtridie aliũ in locũ deductus eſt. quò
q̃dẽ eum eſt ſequutus Pater Blaſius Magiſter unà cũ fratribus Ema
nuele Ciauio, & Ganzalo Oliuerio interpretibus. Cũ ergo Ciauius,
quẽ pręcipue attingebat cura de eo erudiendo, ꝑcunctaretur ab ipſo
q̃uo eſſet ab illis acceptus, pugno tm̃, inquit, anus q̃dã me ꝑcuſsit: at
ꝗ ego tuarũ admonitionum, ac ꝑceptorum memor, tuli aĩo æquiſsi-
mo, nec quicq̃ prorſus ſum cõmotus. Tũ uero ſtudioſius eũ noſtri
fratres inſtituendũ, & Chriſti fide informandũ, atq; ẽt protegẽdum
ſuſceperunt ab his, ꝗ uellent ei iniuriam facerę: ſolent. n. quo tpe ali
quem immolaturi ſunt, multis eũ modis crudeliter uexare. Cũ aũt
ei, ut facere ſunt ſoliti, his, quas morti addixerunt, puellã Cõcubinę,
ſimul & cuſtodis loco cõſtituiſſent apponere, nequaquam nr̃i id fra
tres ꝑmiſere, atq; ẽt ipſi, oculis mõ eam percipere, moleſtiſſimum
erat, cũ diceret, nunquã omnino tali ſe turpitudine inquinaſſe. Neq;
uero deerant, ꝗ conarẽtur eũ è manibus noſtrorũ fratrũ eripere, &
per domos huc, atq; illuc tota nocte ad ſaltandũ, ſeq; oſtentandum
trahere. & cũ nollent hĩ ullo pacto eũ dimittere, multis in ipſos inſo
lentibus, contumelioſiſq; uerbis utebantur. Iã alij prope iuuenẽ præ
tereuntes, morieris dictitabant. ſolennis hęc eſt illius tẽporis uox. at
ille parui id ducebat, quin ẽt cũ uideret, uelle noſtros huiuſmodi uo
ces inhibere: ſinite, inquit: ego. n. iſta curo iã plane nihil. cũ ergo ſir-
me iã uideretur Chriſti fidem tenere, media nocte baptizatus eſt, ac
diligenter monitus, ut humanis rebus poſthabitis, quas breui erat re-
licturus, totũ ſe Deo cõmitteret, ac traderet. O' altitudo immẽſa ſa
pientiæ, & ſcientiæ Dei, q̃ multis, q̃ uarijs modis, & uijs pergit eos,
quos elegit, ad ſe uocare. ita nimirũ ꝑpotẽs Deus illã animã, ex æter
no tpe ab ipſius prouidẽtia ꝑdeſtinatã, poſſidebat, ut nihil quicquã
permitteret adoleſcentẽ aut cogitare, aut deſiderare, q̃ ut ſecũ eſſet
in gratia: cum. n. q̃reret ex eo Ciauius tentandi quodãmodo cauſa,
qđ nam eſſet inimicorũ conſilium de bello nobis, ut conſueuerunt,
inferendo, non eſſe iã tẽpus, reſpõdit, hæc ſciſcitandi: ſe. n. alta ſpe-
ctare, & ad Deũ aſpirare. cũ uero dies necis ei ꝑſtitutus iã, iamq; in-
ſtaret, uir Indus ex numero Chriſtianorum, cuius quidẽ magna erat
apud oẽs auctoritas, ſermonẽ ædes circumeundo, quomodo ipſorũ
fert cõſuetudo, omnibus ſuis habuit, eoſq; pluribus uerbis hortatus

eſt, &

est,& obsecrauit,paterentur,nr̃os misero illi captiuo oĩa officia p̃stare,q̃cunq; putarent ad eius aĩæ salutem necessaria,obtestãs, si q̃d obstiterent,fore se eis acerbissimum hostẽ. Aduentãte igitur hora, qua felicẽ hanc animã,mortali ueste exuta,lucẽ uiui solis iustitiæ induere oportebat, Adolescens ad locũ cædi designatũ, maxima horũ barbarorũ turba astante,ducitur,medio q̃dem corpore lõgis quibusdam funiculis,qui multorũ manibus utrinq; trahebãtur , colligatus, cæteris mẽbris solutus ac liber:itaq; in forũ cum esset p̃ductus,carnifex,ceremonijs barbara superstitione peractis,accedens ad eũ, solẽne illud p̃tulit uerbũ,morieris.Tũ ille nostrorũ fratrũ admonitu,illico genibus nixus humi lætãti aĩo institit,manus eodẽ t̃pe,oculosq; ad cœlũ extollens.atq; ita sacrosanctũ Iesu nomen implorãti caput graui baculo fractũ est;aĩa uero quemadmodũ nobis est penitus persuasum,ad æternæ,beatæq; uitæ p̃mium uenit,ei q̃dẽ à Deo optimo maximo iã inde ab orbe condito p̃paratum.Velim ita nos idẽ Pater misericordiarũ Deus dignos habeat,q̃ simili aliqua,aut ẽt acerbiore morte sanguinẽ pro ipso,sanctissimũ eius nomen cõfitentes,profundamus. Verũ illi adolescenti iam mortuo funicula detraxerunt, nec amplius q̃cquã fecerunt.Tum demum nr̃i fratres accepto cadauere,rete illud cũ inuoluissent,suis humeris Piratiningiam tulerunt, ibiq; nr̃o in tẽplo sepelierunt, à morte scilicet excitandum extrema die aduentus Domini. quẽ q̃dem decet nos pro suis admirabilibus operibus,& pro eximia in hominibus cooptandis benignitate summis in p̃petuum laudibus celebrare.De his aũt,qui à prima pueritia Christianos mores nostris è scholis hauserũt:quorũ certe uita,quo minus erat patrũ suorũ uitæ consentanea,eo maiorẽ nobis dabat facultatem Dei bonitatẽ extollendi,consolandiq; & fulciẽdi nostræ fidei studiosos;de his inquã ne meminisse q̃dẽ uelim, ut ne uulnus refricem,ac dolorẽ, quẽ q̃dem iustissimum capio ex ipsorũ mutatione & lapsu.Illud igitur satis fuerit de eorum calamitate tetigisse, q̃ uix dũ iuuentutẽ ingressi,& uim nacti arbitrio suo uiuẽdi,usq; eo intemperãtes,dissolutiq; euaserunt,ut non mõ fratres, ac propinquos assequantur turpissimis,nefarijsq; facinoribus,uerum longe ẽt superent,in omni gñe & scelerũ,& libidinum,& ebrietatũ se se uolutantes.Neq; tñ non summe nos,quacunq; possumus rõne,contẽdimus, ut eos ad rectã reducamus salutis uiã.Sed uero non ita multũ debemus eiusmodi mutationẽ in istis admirari, qñ uidemus,ipsos ẽt ueteres Christianos idẽ cõmittere. Quod aũt pertinet ad illos,qui à fi

de noſtra alieni, ea continentis loca incolunt, q̃ ſunt à mari remotiora, tm̃ dicã, non deſinere eos arma nobis, ac uim intentare. & q̃dem non ita multis ante diebus non nullos occiderunt Luſitanos, q̃ ex Paraguaio ueniebant: atq; ea re elati, mortẽ nobis minitantur. Quin ẽt ꝓpinquiores habemus hoſtes, qui in hæc ipſa caſtella ſubitis excurſionibus inuadunt, agros populantur, oĩa diuexant, & diripiunt: multos quoq; abducunt captiuos, uel ut miſerabili eos ſeruitute oppreſſos, teneant, uel ut interimãt, & humana carne ſuã effrenatã, importunamq; famẽ expleant. ſuperiore q̃dem anno uico potiti prope hãc Diui Vincentij Baiã, cõplures ceperunt mulieres, q̃ ſpe ſalutis egreſſæ, fugæ ſe dederant: atq; eas in quaſdã naues, chanoas quas uocant, ĩpoſitas aſportarũt, una excepta, q̃ patre nata Luſitano, matre Inda, frequens huc accedebat ad Chriſtianã doctrinã hauriendã, & ad peccata confitenda. hæc certe barbaris hoĩbus aĩo reſtitit adeo uirili, ut illi intelligentes uanos ſuos eſſe conatus, multis eã uulneribus cõfecerint. reſtitiſſe uero ipſam, credibile eſt, timore amittendæ pudicitiæ, nã cũ ſæpe alias, tum maxime pridie, q̃ cõprehenderetur, ſuis aſſeuerat ſocijs, ſi forte accidiſſet, ut hoſtes domũ patris aggrederentur, & caperent, nunquã ſe q̃dem permiſſurã, ut ipſam uiuã abducerent, ne uidelicet cogeretur eſſe eis concubinæ loco; conſtitutũ hr̃e, quoduis potius mortis genus ꝑpeti. O laudabile propoſitũ. utinam multæ ex noſtris Chriſtianis numerarentur eadẽ mente ꝑditæ. pluri mis profecto malis, & incõmodis liberaremur, q̃ quotidie emanant non ſine multarũ domnũ, immo uero ẽt ciuitatũ exitio, atq; interitu. Ante hos aũt, quos dixi, aliæ eiuſdẽ gentis copiæ huc appulerãt: q̃bus cũ erant quatuor Galli, ſpecie, ut ꝑberent ſe illis adiutores belli gerendi, re, & ueritate, ut ad nos ꝓfugerent: id qđ non potuerunt ſine maximo diſcrimine efficere. hi uero, quẽadmodũ poſtea cõperimus, ſeiunxerant ſe ab alio ſuorũ cœtu, qui loca q̃dam incolentes, qđ nos Henari flumẽ nuncupamus, millia paſſuũ centũ, & quinquaginta amplius hinc diſtantia noſtrorũ utebantur hoſtiũ conſuetudine, ibiq;, & domos ædificauerant, & arcẽ extruxerant firmiſsimam, eamq; maioribus tormẽtis, & alijs opibus ad bellũ gerendũ opportunis probe muniuerant. eò aũt dicebant ſe à Rege Gallorũ miſſos eſſe, ut regionẽ illã in eius ditionẽ redigerent: quod tñ minime uidebatur credibile, quin erant iſti q̃dem oẽs Hæretici ab ipſorũ Hereſiarcha Ioãne Caluino eam ob cãm miſsi, ut hanc quoq; partẽ orbis terrarũ inficerent opinionũ prauitate. itaq; eis duos ille de ſuis, mi-

niſtros

niſtros quos uocant, attribuerat, q̨ falſa ipſorũ doctrina & ſuos, & alios erudirent. Iſti uero paucis poſt diebus, q̃ illuc ueniſſent, cœperunt, ut mos eſt Hæreticorũ, uarijs inter ſe opinionibus diſſentire: in eo tñ conſenſerunt oẽs, ut ſingulas ſentẽtias ad Caluinũ, & cæteros ipſorũ doctores, uel potius, ſi uerũ q̃rimus, indoctiſsimos homines, pſcriberent, & q̨cquid eſſet ab eis relatũ, id utiq; cõprobarent, ac ratum haberent. Hoc dũ expectatur reſpõſum, unus interea ex eis, uir q̨dẽ certe in liberalibus artibus inprimiſq; in mathematicis non mediocriter uerſatus, atq; ẽt hæbraicæ, græcæq; linguæ, & ſacrarũ litterarum bene peritus, ſiue q̄ pp opinionũ diſsimilitudinẽ minus cõueniret cum ipſius duce, ſiue, qđ eſt magis ueriſimile, q̨a cuperet ſuã mẽdacem doctrinã, ac peſtiferam noſtros inter Luſitanos diſpergere, ad nos uenit, & ſecũ duxit tres alios eiuſdẽ ſectæ, quanquã rudes, & indoctos hoĩes. nos uero eos tanquã peregrinos, queãdmodũ poſtulat Chriſtiana charitas, domum noſtrã recepimus, & benigne tractauimus. hìc ſophiſtes ille, q̨ ẽt hiſpane luculenter ſciebat, cœpit ſui generis nobilitatẽ iactare. quo factũ eſt, ut à uulgo magni æſtimaretur, & uero ẽt pro ſua facilitate, & iucunditate cõſuetudinis uidebãtur eum iam oẽs admirari. Scripſit hic pfecto ad Patrẽ Aloyſiũ Granium, q̨ Piratiningiæ id tpis morabatur, breues quaſdã litteras, q̨bus uitæ ei ac ſtudiorũ ſuorum rõnem explicabat, cum diceret, ſe quidẽ, poſtq̃ eſſet ab eo, quo adoleſcens magiſtro uſus erat, uiro ſane eximio, ac pſtãti, in felices Pieridũ ſpeluncas introductus, ubi animum Heliconio in fonte diuinis, amæniſq; ſapientiæ riuis inſaturabiliter expleuerat, ad iucundiſsimũ penetralle, & altiſsimũ ſacræ Theologiæ ſtudiũ, atq; eã facilius ut arriperet, hæbraicas quoq; litteras multo ſudore ac labore didiciſſe, docentibus ipſis ſummis Hebræorum doctoribus, ab eiſdemq; admirabilia percepiſſe myſteria q̃ eſſet ipſi largiſsime impertiturus, cũ primũ daretur facultas eius alloquendi. hæc erant, & alia id genus in illius epiſtola: q̃ demũ diſtico claudebatur. Verum enimuero pauci omnino dies ab hac epiſtola interceſſerunt, cum iſte cœpit, quaſi ex ſtomacho peſtiferis, putidiſq; humoribus referto, falſas, & inanes opiniones ſuas euomere, dũ petulãter in Diuorũ imagines inueheretur; ſacrã hoſtiã uituperaret; de Põtifice maximo, Chriſti uicario, detraheret; ſanctas indulgentias improbaret; multa deniq; alia carperet, q̃ cenſet Romana eccleſia pie colẽda & obſeruãda eſſe. Omnia uero facetiarũ ſale cõdiebat, ut pote eſca ignaræ, ac ſtultæ plebis palato acceptiſsima. cui ſane plebi erat ille

non

non mō nō molestus, sed ēt (qđ uere deplorādū est) ualde gratus, & iucundus. Quo cognito Pater Aloysius Piratiningia confestim ꝓfici scendū putauit, ut nascenti malo occurreret, ac teneras eius radices ante euelleret, q̄ posset, ꝑ improuidas mente huius imperitæ gētis, & rerū nouarū studiosæ serpens, amaros in eis sempiternæ mortis fructus ꝓcreare. Gallus igit, id ipsū ueritus, ut eius aīmū aduersus se ꝓuocaret, hominemq; inimicitiarū nomine iudicibus suspectū redderet, statuit aliquorū ēt fortasse studio, & grā nixus, cōtumeliosas ad eū litteras q̄ primū mittere, quarū qdē initiū erat istiusmodi, Adeste mihi, Cœlites, afferte gladios ancipites ad faciendā uindictam in Ludouicū Dei osorē. In reliqua uero epistola asperius eum increpabat, in criminis loco obijciēs, ꝙ pabulū uerbi Dei subduceret Lusitanis, ac totū traduceret ad eos conuertendos, q à fide Christi abhorrerent, multa ꝑterea adscripserat, qbus putabat fore, ut facilius excitaret eius erga se odiū. Sed uir ille ꝓbus, q, spreta ꝓpria gloria, Dei cām accurate agebat; & harū aīarū, atq; adeo uniuersę huius nationis utilitati, incolumitatiq; studebat, cū animaduerteret, si quidē permisisset eiusmodi peste propagari, nullo p̄senti adhibito remedio, summum esse periculū, ne regio tota corruperetur, Vicariū primo quoque tempore adijt, eumque magnopere hortatus est, ut ne sineret id mali latius manare. populū porro ī cōcionibus, quas hēbat de rebus diuinis, uehemētissime monebat, ut ab hisce hoībus sedulo caueret, & à libris, quos attulerāt, nihilo minus, qppe q essent hæresū pleni. Neq; tñ cessabat cœcū uulgus, atq; amens, laudibus Gallū efferre, admirare hoīs sapiētiā, suspicere eloquētiā, ꝑdicare bonarū artiū disciplinā, cōtraq; Patrē Aloysiū acriter obiurgare, & calūniari, ꝙ hominē insectaretur, odio impulsus, quod in eū cōceperat, lectis literis, qbus ille fuerat in ipm inuectus. Quid plura? funesta hęc cōtagio ꝑ intimos multitudinis sensus usq; eò puaserat, ut in maximū periculū, & extremū penè discrimen adducta esset multorū salus, nisi Deus, ut est summe misericors, puidisset. næ ille tm̄ erat existimationis loquacitate sua adeptus apud populū nugarum. s. ac rerū nouarum sua natura studiosum, ut iā paruum, & pene dicam nullū pondus hēret Patris Aloysij auctoritas, grauitas, uitæ ꝓbitas, ac doctrina plane singularis. Postea aūt ille cū suis socijs ad Baiā ductus est, quo melius ibi quid hoīs esset, ꝑspicuū fieret. Quæ uero in hoc negocio tū hic, tum ibi acta sint, ea tibi oīa separatim alijs literis significabo: mihi enim uidētur eiusmodi esse, ut nō debeāt cōem in Epistola conijci.

Sed

Sed tñ pstringam unũ, ex quo posſis, tanq̃ longinquo aliquo ex loco, rei euentũ proſpicere, nimirũ ꝙ negociũ ita adminiſtratũ, itaq; pclare expenſum eius momentũ eſt, ut nõ paruum tu quidẽ dolorẽ ſis pcepturus, dum intelliges, q̃ negligẽter fuerit à nr̃is Chriſtianis Chriſti cã ptractata. Ab eo igitur Baiæ Præſes de Gallorum cõſilio certior factus, ſtatuit arcẽ ab illis extructã inuadere, & oppugnare; ob eãq; cãm, pfectus primum ipſe eſt quibuſdã cum nauibus, ad bellum gerendum idoneis; deinde ſubſecutum eſt cõplurium nauigiorum, & Canoarum ſubſidiũ. atq; ẽt ipſi, quod ad nos attinebat, huic cãæ præſto fuimus, Deum ſine ulla intermiſsione pcantes, ut Chriſtianis poteſtate pmiſſa rei bene gerendæ, Hæreticos, q̃ illud tenebant pſidium, funditus perderet: ualde.n. timebamus, ne illi, ſi eſſent diutius his in locis cõmorati, paucos hoſce Chriſtianos deprauarent penitusq; corrumperẽt. ita eſt humanũ in genus pcliue ad mollẽ, et uoluptariã uitã, cuiuſmodi uitæ gradibus pollicẽtur iſti q̃dẽ fore, ut hoĩes in cœlũ aſcendant. Itaq; ad priuatas pcationes, quibus ſeparatim unuſq́ſq; noſtrorũ utebatur, pinde ut ſuã cuique religionis, & obediẽtiæ rõ ſuadebat, publicas addebamus ſupplicationes, cũctiq; ſimul quotidie mane, peracto Miſſæ ſacrificio, litancias in ipſo tẽplo canebamus. Sacerdos quoq;, & unus è noſtris fratribus iterpres, petente præſide, in illa claſſe hinc miſsi ſunt, q̃ operã ſuã militibus in audiẽdis peccatis præberent, & Indos inſtruerent, q̃ erant cum eo pfecti. Sed interpres haud multo poſt reuertit acutiſsimas habens febres, & dyſenteria grauiter laborans, ex maximis certe incõmodis & frigoribus, q̃ ibi fuerat ppeſſus. hic tñ, Deo iuuante, morbo leuatus breui cõualuit. Verum uidebatur illa quidẽ arx expugnari nullo mõ poſſe, tum ob loci naturã (erat.n. in altiſsimo ſcopulo ſita, atque alijs itidẽ ſcopulis undiq; ſepta, nec aſcenſus ad eã aliunde patebat, q̃ anguſta uia, & ardua inter aſperrimas quaſdã rupes) tum ẽt pp magnã copiã tormẽtorum, & aliarum cuiuſq; modi rerum, q̃ ſolent ad tuenda pſidia, & ad uim hoſtium repellendã cõparari. Accedebat eo dẽ, ꝙ bene erat cõmeatu, barbariſq; militibus, q̃ auxilio Hæreticis uenerant, cõmunita. Quãobrẽ nemo erat, quin putaret, uanam fore, atq; inanẽ oppugnationẽ, certiſsimum uero, & exploratũ noſtrorũ periculũ, ſi ptinaciter ſuſceptum negociũ pſequerentur: quod quidẽ oĩ humana rõne exiſtimabatur fieri nõ poſſe, ut cõficerent, apparatu pſertim tã exili. Vicit tñ has oẽs difficultates ſolicitudo honoris Dei, & ſpes maxima, quã noſtri in ipſo poſitam hẽbant. Ergo cœpta

eſt arx illa terra, mariq́; oppugnari. cum uero, q intus erant, Galli, à barbaris adiuti, fortiter reſiſterent in pugna, q̃ quidẽ ſumma eſt cõtentione cõmiſſa, multi ex utraq; parte ceciderunt; ſed plures oĩno ex noſtris pp anguſtiã, & aſperitatẽ loci. ac res eò iã deducta uidebatur, ut nõ ſolum in nulla ſpe eſſent potiundi pſidij, ſed ẽt dubitarent, ne liceret ſibi pedẽ honeſte referre, de quo iã deliberabant, timẽtes, ne tormenta amitterent, & uix poſſent, ſe ipſos incolumes recipere: ueruntamẽ qm̃ temere certe, ut dixi, oĩum iudicio, ac parum diligenter expenſis pprijs uiribus, ſed tñ Dei honoris tuendi, ſuæq́; ſanctæ fidei amplificandæ ſtudio hanc puinciã ſuſceperant, Dñs exercituũ minime oblitus eſt populi ſui, quin eo ipſo tpe, cum nec tormẽtarij pulueris in nauibus qcq̃ ſupererat, nec cõmeatus ſuppetebat pedeſtribus copijs: atq; oẽs multis incõmodis, difficultatibusq́; affecti deficiebant, & cũ turpi fuga crudeliſsimã mortẽ expectabant. hoc inq̃ tpe effecit Deus Optimus Maximus, ut Galli relicta arce pfugerẽt, & in mare ſe coniicerent, naues, lintres, ac diuerſa, q̃ ibi erant, nauigia certatim cõſcendentes. Tum ad munitiora barbarorum loca pfugerunt, pulſi, quẽadmodũ certo credimus, metu ac terrore, quẽ ipſorum animis iniecit idẽ ille, qui ſua incredibili uirtute, ac potentia Pharaonẽ cum curribus, & exercitibus eius uniuerſis in mare rubrũ demerſit, ut populũ ſuũ ex Aegyptiorũ ſeruitute ĩ libertatẽ uindicaret. Arce igitur capta, magna quidẽ in ea reperta eſt bellicorũ inſtrumentorũ copia, & rerũ ad uiuẽdum neceſſariarũ, quibus ualde ſe refecerunt afflicti Chriſtiani, maximus itẽ hæreticorũ librorũ numerus inuentus, crucẽ uero, aut diuorum imaginẽ uidiſſes planè nullã, nec ullũ oĩno extabat Catholicæ diſciplinæ ueſtigium, excepto Miſſali, eoq́; abraſis oĩbus, & inquinatis imaginibus. Succurrat, quæſo, Deus ſua immẽſa bonitate labenti ipſius gregi. Hæc habui, q̃ ad te, Reuerende Pater, de tuis filijs, q hìc ſumus hoc tpe ſcriberẽ. Quod ſupereſt, uelim tu nos p tuo paterno amore, quod certe cõfidimus te uel nobis tacentibus ſine ulla intermiſsione facere, Deo pijs ſacrificijs, ac precibus cõmendes, ut ueri ſimus huius minimæ ſocietatis IESV filij, & mereamur in ea, ſuis ſanctis donis in dies aucti, uſq; ad extremum ſpiritum perſeuerare. Ex oppido Sancti Vincentij. Calendis Iunij. M D L X.

FINIS.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967